



**R.P. Ioannis De Lvgo Hispalensis, É Societate Iesv, Jn
Collegio Romano Eivsdem Societatis Olim Theologiae
Professoris, nunc S. R. E. Cardinalis, Dispvtaiones
Scholasticae, & Morales, De virtute, & ...**

Lugo, Juan de

Lvgdvni, 1666

Dispvtaio XXIII. De sigillo Confeßionis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82358](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82358)

species, vel circumstantias; vel ita omittendo interrogaciones, vt perinde esset, ac si diceret, non esse necessarium alia, vel magis explicare, ita vt penitens eius auctoritate motus, non curet amplius de confitendis iis, quæ relicta sunt; vel solum purè omisiuè se habuit non interrogando, quæ interrogari deberent. In primo casu, siue culpabiliter, siue inculpabiliter id fieri Confessarius videtur postea debere admonere penitentem, si absque scandalo, vel graui detrimento possit: ita tamen, vt magis strictè ad id teneatur, quando præcessit culpa grauis Confessarij; minus, quando non præcessit. Ratio autem sumitur ex *suprà* dictis: quia ille, qui causa est alteri violandi præceptum graue, violatione etiam materiali; debet, si commodè potest, admonere de errore, vt ille præceptum non transgrediatur, vt *suprà* vidimus: si ergo Confessarius sua auctoritate, causa est, quòd penitens non confiteatur illa peccata, quæ ex Christi præcepto confiteri debet, obligationem habet auferendi illum errorem à se positum, vt penitens non violet diuinum præceptum.

Cæterum, quia præceptum de integritate confessionis tale est, vt solum obliget, quando sine graui detrimento obseruari potest; consequenter dicendum est illud sufficere ad excusandum Confessarium, ne admoneat postea penitentem de illo defectu, quod sufficeret ad excusandum ipsum penitentem ab integritate confessionis, cum non habeat maiorem obligationem Confessarius, quam penitens, ad seruandum illud præceptum. Et hoc intelligo, quando defectus procedit ex culpa graui Confessarij. Quando verò non procedit ex eius culpa graui, multò minor causa sufficit ad excusandum Confessarium: quia ipse postea non adstringitur præcepto integritatis; sed alio præcepto procurandi, ne ex sua actione penitens moueatur ad violandum præceptum integritatis; quæ obligatio minor est, quam obligatio ad integritatem. Quod in alijs præceptis manifestum est. Nam, si inculpabiliter dixisti alicui, non esse obligationem audiendi Missam, vel ieiunandi tali die; minor causa sufficit, vt excuseris ab illo postea admonendo, quam vt excuseris ab audienda Missa, vel à ieiunio. Sicut etiam in materia iustitiæ, minor causa requiritur, vt excuseris ab admonendo aliquo, cui bona fide dixisti, licitum esse talem contractum, vel à restituenda fama alterius, quam inculpabiliter læsisti, quam vt possis retinere alienum, vel lædere scienter alienam famam. Maius enim ius habet proximus aduersus me, ne lædam directè illum, quam vt procurem, ne ex mea actione, bona fide posita, sequatur eius læsio. Quare raro teneretur fortasse Confessarius qui bona fide decepit penitentem circa integritatem confessionis, ad illum postea extra confessionem admonendum: quia regulariter absque incommodo, & detrimento suo id non potest facere.

Quando verò negatiuè, seu purè omisiuè commisit Confessarius illum defectum, siue culpabiliter, siue inculpabiliter id fecerit, credo, postea nõ teneri extra confessionem admonere penitentem: quia præceptum integritatis non obligat directè Confessarium, sed penitentem: Confessarius autem tenetur interrogare, & examinare: quia est iudex, & non potest licitè proferre sententiam, nisi prius plenè informetur de toto statu causæ, & personæ, quam debet absolueret. Vnde, postquam sententiam protulit, & functus est officio suo, non obligatur amplius illo præcepto interrogandi, & examinandi. Aliandè verò ipse non est causa, quòd penitens postea non confiteatur illa peccata, vt

suppono: quia, nec ipse id dixit formaliter, nec virtualiter, ita vt penitens ab eius auctoritate moueatur ad illa non confitenda, sed à sua obliuione, vel imperitia: & licet debuerit ex officio eum docere in actu confessionis, non tamen postea: imò, licet esset Parochus eius, & magister ex officio; id tamen munus non est ad docendum ex notitia confessionis extra illud iudicium: nam extra confessionem non debet pascere, nec gubernare subditos ex notitia confessionis; sed sicut, si eorum peccata non audisset.

Dices: Quilibet debet docere proximum, quem videt propter ignorantiam violare aliquod diuinum præceptum, si commodè possit: cum ergo Confessarius sciat, penitentem propter ignorantiam violaturum præceptum diuinum circa integritatem confessionis, debet eum monere. Respondetur illam obligationem esse tenuissimam circa aliqua præcepta, quando sine peccato violantur quare illud incommodum, & rædium, quod secum affert loqui cum penitente post confessionem de rebus confessionis, & admonere de defectu commissio, videtur sufficiens ad excusandum in hoc casu ab ea obligatione, si quæ est, cum aliunde nihil detrimenti pariat penitens ex illo defectu; & illa peccata remissa iam sint indirectè per absolutionem directam ab alijs.

Petes, quid, si postea redeat idem penitens iterum ad confessionem; debetne illum in confessione admonere Confessarius de defectu commissio in confessione præcedenti? Respondetur affirmatiuè: quia iam tunc est Index iterum; & ad proferendam sententiam legitime, debet interrogare de iis, quæ videt à penitente per obliuionem, vel ignorantiam omitti. Cum ergo sciat omitti ea de quibus in præcedenti confessione debebat interrogare: consequens est, vt nunc debeat inquirere de illis, non tam ad supplendum defectum confessionis præcedentis, quam ad procurandam integritatem huius confessionis præsentis, & præmittendum examen requisitum ante absolutionem.

DISPUTATIO XXIII.

De sigillo confessionis.

SECT. I. An, & quale sit præceptum de sigillo confessionis.

SECT. II. Quas personas obliget hoc sigillum.

SECT. III. Qua sit materia huius sigilli.

SECT. IV. Quomodo loqui debeat Confessarius ad vitandam reuelationem.

SECT. V. Quomodo possit Confessarius vitare scientia habita ex confessione.

DIXIMVS de obligationibus Confessarij in ipso actu confessionibus: nunc de illa, quæ consequitur post confessionem de seruando secreto; de quibus pluribus, & vtilissima dubia examinanda occurrunt hoc ordine. Primò, de ipso præcepto, & obligatione. Secundò, de personis, quas obligat. Tertiò, de materia, quæ cadit sub sigillo. Quartò, quibus modis violetur, vel non violetur.

SECTIO

SECTIO I.

An, & quale sit præceptum de sigillo confessionis.

1.
Confessarius
obligatur ad
secretum.

CONSTAT apud omnes, Sacerdotem debere servare sub secreto, quæ in confessione audit, ita ut neque Hæretici hoc unquam negaverint, & idem non fuerit necessaria peculiaris definitio Tridentini in hoc articulo. Colligitur autem ex usu, & traditione perpetua Ecclesiæ, & ex Gregorio Papa in c. Sacerdos, de pœnitentia, dist. 6. ubi ait, propter nullum scandalum vitandum frangendum esse hoc sigillum, & ex cap. Omnis utriusque sexus, de pœnit. & remiss.

Qua sit radix
huius obliga-
tionis.

Controversia est circa rationem, & radicem huius obligationis. Aliqui primò dicunt rationem esse: quia, si Sacerdos revelaret confessionem, mentiretur: ipse enim non scit ut homo; sed ut gerens vicem Dei, quæ postea, ut homo manifestat. Hæc ratio rejicitur communiter, & meritò primò, quia, licet id sciat, ut gerens vicem Dei; ipse tamen id scit. Secundò, quia, si diceret saltem, se illud scire ut gerentem vicem Dei, non mentiretur. Tertio, quia, si ea esset ratio, nec de licentia pœnitentis posset illa revelare sine mendacio. Quarto, quia non revelata persona, potest aliquando revelare peccatum auditum absque peccato: ergo non mentitur, dicendo illud, quod solum scit ex confessione. Quintò possumus addere, quia, si malitia mendacii esset radix huius tam strictæ obligationis, illa non refunderet malitiam gravem in hoc peccatum: nam dicere, se scire, quod non scit; non est ex se mendacium grave. Si autem dicas desumi malitiam gravem ex damno gravi, quod infertur pœnitenti, vel Sacramento; iam de hoc ipso reddenda est alia ratio, cur, scilicet, semper sit tale, & tam grave damnum, ut non possit compensari aliquando ex utilitate revelationis.

2.

Aliqui secundò dicunt, rationem esse: quia revelatio apponeretur significationi ipsius Sacramenti: nam Deus in hoc Sacramento tegit peccata pœnitentis, iuxta illud: *Beati quorum remisse sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata*, & hoc ipsum significatur per secretum, quod Sacerdoti imponitur. Quam rationem iudicavit S. Th. in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. in quest.unc. 1. corpore. Alij eam impugnant, alij defendunt: sed est mera congruentia moralis: alioquin, neque ex licentia pœnitentis posset revelari confessio, si hoc esset contra significationem Sacramenti. Nec vllò modo probatur, talem significationem esse essentialem huic Sacramento, cum verba formæ solum significarent absolutionem, & remissionem; & aliunde non sit contra substantiam huius Sacramenti, quod confessio sit publica, ut suo loco visum est.

3.

Alij ergo hoc deducunt ex obligatione iuris naturæ ad servandum secretum in rebus sub secreto commissis. Sed hæc ratio, licet probet obligationem secreti; non tamen talem, ac tantam quæ sit quasi super omnia, & in nullo casu relaxari possit, cum secretum naturale in alijs materijs non obliget cum tanto rigore. Alij dicunt scientiam ex confessione haberi esse sacram, & superioris ordinis, quæ ad solam salutem pœnitentis ordinatur; atque idem non posse licitè ordinari ad alios fines extrinsecos, & inferioris ordinis. Sed contra hoc est, quod non est intrinsecè malum, rem superioris ordinis ordinare ad res alioquin bonas, & honestas inferioris ordinis, maxime ut ad finem in adæquatam, & secundarium, sicut Eucharistia, & Missa ordinantur

ad impetrandum remedium necessitatis temporalis. Denique, quia iam liceret revelare confessionem aliquando, saltem propter bonum superioris, vel æqualis ordinis, v. g. propter conversionem alicuius regni, aut propter eius conservationem in fide catholica.

Ratio ergo præcipua, & magis communis est, quæ desumitur ex reverentia debita Sacramento, cui fieret iniuria revelando confessionem: nam, si homines scirent, Confessarium posse confessionem revelare; retraherentur ab illa: constat enim, de facto excusari pœnitentem à confessione sui peccati, quando prudenter timet Confessarium non oblaturum sigillum; & memini me legisse, quod apud Abyssinos, vel Ethiopes hoc Sacramentum fere abiit in desertum propter malitiam Sacerdotum, qui sigillum religiosè non oblatunt. Quare, cum Christus voluerit obligare omnes fideles ad manifestandam integrè suam conscientiam apud Sacerdotem, nihil ei celando; oportebat, ut ex parte Sacerdotis esset obligatio talis, quæ omnino admeret pœnitenti metum publicationis, & revelationis, ne ab huius Sacramenti usu adde necessitas retraheretur.

Hinc oritur difficultas, an hæc obligatio oriatur ex iure naturæ, supposita institutione, & obligatione huius Sacramenti, an verò ex præcepto Christi positivo superaddito. Supponimus non oriri ex solo præcepto humano: alioquin Papa potest dispensare in hac obligatione, & pœnitentes formidare possent, an hic Confessarius haberet tale privilegium, quod tamè nequiquam factum est, nec aliquis Catholicus cederet fieri posse. Dubiū ergo est, an fieret institutio Eucharistiæ oriatur iure naturæ obligatio non sumendi eam in peccato, ne Sacramentum fraudetur suo effectui, sic ex institutione Sacramenti pœnitentiæ oriatur obligatio sigilli, ne homines meritò retrahantur ab hoc Sacramento: an verò, sicut obligatio confitendi ante Communionem non oritur ex ipsa institutione utriusque Sacramenti, sed ex alio positivo divino præcepto superaddito; sic hæc obligatio sigilli adde stricta oriatur ex novo Christi præcepto superaddito, & non ex sola institutione Sacramenti Pœnitentiæ.

Pater Valquez 9. 93. art. 4. dub. 1. n. 10. dicit, necessarium fuisse præceptum superadditum Christi ad talem obligationem inducendam: cui consentit Pater Coninch in præfati, disp. 9. dub. 2. qui n. 14. assertit pro Henriq. lib. 6. c. 19. n. 3. Sed immittit: quia ipse contrariam sententiam ibi tradit, ut vidimus. Probat: quia ex institutione Sacramenti Pœnitentiæ solum oriebatur obligatio servandi secretum in gratiam pœnitentis, quando ipse dignus esset, quod servaretur; & hoc propter reverentiam Sacramenti: quod autem non servaretur, quando ipse pœnitens non esset dignus, v. g. quia non vult desistere à prodicione reipublicæ, quam machinatur; non esset contra reverentiam Sacramenti; nec enim de hoc possent pœnitentes rationabiliter conqueri, aut ea de causa retrahi ab hoc Sacramento.

Contrariam sententiam supponunt Theologi antiquiores, qui idem varias rationes conantur adducere ad fundandum hoc naturale præceptum. Eandem tuetur Pater Suarez illa scilicet n. 10. & Pater Henriq. loco supra citato eandem supponit: dicit enim præceptum hoc esse, sicut præceptum non mentendi, vel non fornicandi, quæ propter nullum merum mortis, aut aliud damnum, desinunt obligare, eo quod mendacium, & fornicatio non sunt media ex se ordinata ad cauenda illa damna: sic etiam violatio sigilli nunquam licet: quia ex se non est ordinata ad cauenda damna, quæ sequi possunt,

possunt. Et licet appellet illud præceptum positum Christi; idem id dicit, quia ipsa ratio Sacramenti est ex positiva Christi institutione, ut ipse explicat in principio illius §. 3.

8. Obligatio naturalis non semper obligat.
Pro explicatione huius sententiæ, quam veriorum existimo, supponendum est, loquendo in genere, obligationem naturalem circa aliquam materiam aliquando esse talem, ut non semper obliget, sed exceptiones aliquas in certis casibus admittat: talis est obligatio non accipiendi alienum, quæ non obligat in necessitate extrema. Similiter obligatio non occidendi non obligat in casu defensionis necessariæ: & eodem modo obligatio naturalis seruandi secretum commissum non obligat quando reuelatio necessaria est ad tuendum innocentem, vel reipublicam ab iniuria illius, qui secretum commisit. Aliquando verò obligatio naturalis talis est, ut in nullo casu exceptionem patiat: talis est prohibitio pollutionis voluntariæ, fornicationis, mendacii & alia eiusmodi, quæ in nullo casu, etiam necessitatis extremæ, vel propter bonum totius reipublicæ, vel vniuersi, licita sunt. Ratio autem differentia à priori desumitur ex ipsa materia præcepti, quæ aliquando talis est, ut in aliquibus casibus non afferat præcepti obseruatio maius bonum, quam cessatio obligationis: maius enim bonum est humano generi, quod in necessitate extrema unusquisque fruatur bonis aliorum, quam quod etiam in illo casu seruetur illæsum ius domini in res suas; & sic de aliis exemplis adductis: de contra verò in aliis materiis magis expedit pati aliqua incommoda in casu particulari, quam exceptionem aliquam admittere in præcepto, v. g. in fornicatione, maius bonum est, quod nunquam liceat, quam illa, quæ aliquando in particulari casu sequi possent ex licito illius vsu. Graviora enim mala sequerentur, si semel admitteretur exceptio huius obligationis, eò quod homines ad sensualitatem prouiderent sibi fingerent, vel procurarent eas circumstantias, quod in magnum proles detrimentum cederet: cui damno communi non præponderat illud, quod in aliquo raro, & particulari casu sequi potest alicui priuata personæ ex eo, quod non sit licita fornicatio. Quod idem de pollutione, mendacio, & similibus dicendum est. Sic etiam legislator humanus propter rei gravitatem, & necessitatem aliquando prohibet, absque vlla prorsus exceptione, prout in Concilio Tridentino matrimonium clandestinum absque vlla prorsus exceptione prohibitum, & irritatum fuit: quia, licet in aliquo peculiari casu vtilius fortasse fuisset ad vitandum aliquod grauissimum malum, quod fieri posset matrimonium valide absque Parocho; in genere tamen magis expedit, quod nunquam possit fieri, quia ex vna exceptione illius præcepti, & prohibitionis, grauiora sequerentur mala in aliis casibus. Quod ergo legislator humanus facere potest, poterit etiam aliquando facere lex ipsa naturalis, & de facto facit in multis materiis: & in hac ipsa materia Sacramentorum, aliqua sunt talia præcepta, quæ supposita eorum institutione, iure ipso naturæ oriuntur, v. g. non suscipiendi Sacramentum Baptismi sine dispositione debita, ne fraudetur suo effectu: non dandi Sacramentum Eucharistiæ peccatori publico, & similia. Difficultas ergo est, an obligatio sigilli cum tota illa vniuersalitate, & rigore potuerit prouenire ex ipsa institutione huius Sacramenti absque alio præcepto nouo superaddito.

79. Dicimus itaque, potuisse, prout Theologi videntur communiter supponere, & Ecclesiæ vsus ex ipsa rei dignitate, & necessitate potius, quam
P. Joann. de Lugo, de Pœnitentiâ.

ex alio positio præcepto, quod certe non constat, collegisse videtur hanc obligationem. Ratio autem esse potest eadem, quæ reperitur in aliis materiis: nam, sicut pollutio voluntaria, v. g. nullo vnquam casu licita est, etiam cum propriæ mortis periculo, etiam cum dispendio, & ruina regni; cuius salus dependet ex vita huius hominis, qui tali remedio indiget; & hoc totum idem creditur, quia bonum proles maioris momenti est, cui maxime aduersaretur licentia possibilis ad pollutionem voluntariam, etiam pro aliquo raro casu: quia homines fingerent sibi, vel procurarent illam casum. Et quidem, cum casus ille rarissimus sit, satis est, quod ille particularis patiat aliquod detrimentum, quam quod bonum commune proles humanæ patiat in aliis casibus detrimentum ex possibilitate illius licentiæ. Similiter fornicatio in nullo vnquam casu licita est, quia, quamuis in aliquo raro casu certum esse posset, prolem non passuram vllum detrimentum in educatione, vel rebus necessariis, maxime si iam hæreditas opulenta relicta fuisset, & educatores destinati pro filio, quia ex tali concubitu nasceretur: oportuit tamen in re tanti momenti præcauere radicibus damna illa, quæ poterant prouenire, nulla prorsus spe relicta licentiæ pro aliquo casu.

Hoc ergo ipsum in nostro casu reperiri videtur: nam, si semel, vel in aliquo raro casu liceret confessionem reuelare, daretur occasio dubitandi scilicet, an interueniret ratio sufficiens ad reuelandum, & poenitentes formidarent, ne Confessarius apprehenderet, licere in hoc casu: & quod grauiora essent crimina, eò magis timerent propter maiorem necessitatem, quæ posset esse illa reuelandi ad bonum reipublicæ, vel ad tuendum innocentem, vel ad alia grauissima damna impedienda: quo timore detererentur à confessione adeo integra, & sincera suorum criminum: nec poterat hoc aliter impediri, nisi restringendo obligationem secreti naturalis, ita ut omnis prorsus timor licentiæ, vel reuelationis licitæ possibilis auferretur: si enim hæc obligatio relinqueretur, sicut obligatio secreti naturalis, & cum eisdem exceptionibus, vix vllus auderet crimina grauiora confiteri: quis enim vir prudens audet crimen grave suum manifestare, nisi confidentissimo fortasse amico pro remedio necessario postulando? Quomodo ergo auderent crimina grauiora commissa manifestare homini, nec amico, nec aliquando noto, nisi intercederet auctoritas diuina claudens omnino Sacerdotis os absque illis exceptionibus, quas secretum naturale permittit? Oportebat ergo iure ipso naturæ, supposita institutione, & obligatione huius Sacramenti, multò magis restringere huius sigilli obligationem, quam in secreto naturali: supposita autem necessitate maioris restrictionis, non poterat mortaliter assignari eius terminus, nisi per totalem prohibitionem reuelationis, ut omnia inconuenientia vitarentur: summa enim necessitas huius Sacramenti, in quo potissime salus fidelium consistit, exigebat non minorem prohibitionem eius reuelationis, quæ confessionem maxima ex parte impediret, quam sit in pollutione, fornicatione, & mendacio, propter damnum, quod afferunt contra prolem, aut humanum commercium.

Obijcit Pater Coninch *ubi supra*, n. 33. quia licet Confessarius posset reuelare peccatum, quando id necessarium est ad impediendam reipublicæ euerisionem; non idem confessio redderetur odiosa, nec homines ab ea detererentur: quia in tali casu poenitens, vel non debet absolui, vel debet permittere, quod Confessarius reuelet, quod necessarium

10. Cur non liceat confessio nemini reuelare.

11.

T t

cessarium est ad impediendum illud damnum: ergo ex timore revelationis licet non posset magis tunc à confessione abstinere, quam nunc: siquidem nunc etiam scit, si confiteatur, obligandum esse à Confessario ad permittendam revelationem peccati ob bonum reipublicæ, & tamen, hoc non obstante, vult confiteri: ergo, licet sciret à confessario reuelandum, non idcirco magis fugeret Confessionem, quam nunc eam fugere debeat.

12.

Hoc tamen argumentum retorqueri potest contra ipsos: quia si non redderetur magis odiosa confessio, nec magis eam fugerent pœnitentes, si Confessarius ipse posset eo casu reuelare, quam nunc ex eo, quod possit pœnitentem obligare ad reuelandum, vel permittendum reuelare: cur ergo Christus de facto in fauorem Sacramenti prohibuit Confessario, eo etiam casu, reuelare? Certè hæc prohibitio etiam pro eo casu facta apertè ostendit, multò magis odiosam reddi confessionem ex facultate, quam Confessarius haberet ad reuelandum propria auctoritate, quam ex eo, quod possit non absolueret pœnitentem, nisi reuelaret, vel permitteret reuelari. Ratio autem est clara: quia in primo casu pœnitens posset timere, ne Confessarius, vel passione, vel zelo, vel ignorantia ductus indicaret reuelandum, quando poterat suauiori modo remedium aliud adhiberi, vel quando necessitas non exigebat tam extraordinarium remedium: in secundo autem casu, cum non possit sine ipsius pœnitentis consensu reuelatio fieri, non est vllaratio timendi à confessione, quia adhuc retinet in se potestatem examinandi obligationem, & cogitandi, an possit facilius via prouidere sine manifestatione sui peccati.

13.

Vnde constat etiam responsio ad fundamentum *supra*, adductum pro sententia contraria, quæ contendeat, non reddi odiosam confessionem, licet in illo casu, quo pœnitens non esset dignus, cui seruaretur secretum, ed quod nollet desistere à machinanda reipublicæ euerfione, Confessarius posset illam reuelare: hoc enim ipsum retorqueri potest: siquidem in fauorem confessionis de facto Christus prohibuit, ne illo etiam casu reuelaretur: ergo verè illa facultas reuelandi pro eo casu redderet eam aliquo modo odiosam, & per consequens esset contra eius reuerentiam, si in illo etiam casu absque pœnitentis consensu reuelarentur: quia, licet ipse de se non esset dignus, quod seruaretur secretum: reuerentia tamen Sacramenti exigat, quod etiam indigno seruetur secretum, ne vllus etiam indignus eo timore arceatur à confessione, & ne ceteri timeant, quod Sacerdos eam licentiam extendat, vel zelo, vel passione ductus: non est enim facile discernere casum veræ necessitatis à casu apparentis, faciliusque Confessarij omnes scire possunt prohibitionem reuelandi vniuersalem pro omni casu, quam discernere vnum casum ab alio. Quare, vt ille metus auferretur à pœnitentibus, oportuit totaliter reuelationem prohiberi.

14.

Dicit aliquis: Iure naturæ obligamur ad seruandum secretum naturale, & tamen in aliquibus casibus possumus illud reuelare, licet ex hoc timidores reddantur homines ad conferendas res suas secretò: ergo, stando præcisè in iure naturæ, nisi accedat nouum præceptum positium superadditum, non obligaretur Confessarius ad secretum adeò strictum, & vniuersale, licet homines redderentur ea de causa timidores ad manifestanda sua peccata Confessario. Respondetur, negando consequentiam. Ratio discriminis est clara: quia in se-

creto naturali damnum, quod sequitur ex eius reuelatione, est, quod aliquis priuatur iure, quod adquisierat ad illud secretum: huic autem damno præponderat bonum publicum, vel ius innocentis, ad cuius defensionem reuelatur secretum: sicut etiam ob bonum publicum priuatur secretum: sicut vel fundo suo, non obstante iure, quod ad illa bona habebat. At verò in reuelatione confessionis, damnum, quod sequitur, non est, quod pœnitens priuatur iure suo, sed, quod Ecclesia careat vtilitate huius Sacramenti, quod quidem est maius damnum quam illud, quod moraliter consequi potest ex retentione sigilli. Nam minus malum est, quod aliqua Respublica, vel regnum eueratur ob consecrationem sigilli, etiam si casus eueniret, qui tamen nunquam euenit, quam quod ab initio data fuisset facultas Confessario reuelandi confessionem in grauissima necessitate; quia ex illa licentia ab initio data, Ecclesia magna ex parte caruisset fructu, & vtilitate huius Sacramenti, quod fuisset grauius malum, quam euerfio vnius regni, etiam si casus accideret: sicut minus malum est, quod regnum aliquod eueratur ex eo, quod non liceat in aliquo casu fornicatio, quam quod ab initio fuisset licita in aliqua necessitate grauissima: nam ex illa licentia sequuta fuissent grauissima mala contra prolem: quod idem clarius constat in exemplo *supra* adducto pollutionis voluntariae.

Addi potest ratio congruentiæ: quia Christus voluit hoc Sacramentum instituire, quasi quoddam tribunal visibile ipsius Dei, in quo per suos Ministros iudicaret ea, quæ per semetipsum iudicaturus erat. Oportebat ergo, vt homo accederet, tanquam ad tribunal ipsius Dei, apud quem quatuor in lege veteri, vel naturæ homines confitebantur sua peccata, & deprecabantur veniam, effundebant cum securitate cor suum absque periculo manifestationis. Cum ergo loco illius tribunalis invisibilis Deus voluerit subrogare tribunal hoc visibile in terris, expediebat, vt cum eadem securitate ad ipsum posset pœnitens accedere, sicut si accederet ad ipsum Deum: atque adeò, quod scientia Confessarij intermedij perinde omnino sit, ac si non esset; sed res tota maneat inter Deum, & pœnitentem, perinde se habente omnino Confessario, ac si nihil sciret.

Ex dictis inferitur primò, peccatum hoc violationis sigilli semper habere malitiam contra religionem, quatenus est contra reuerentiam, & bonum Sacramenti, vt dictum est: frequenter etiam, sed non semper, habere malitiam etiam grauem contra iustitiam, quatenus est contra ius naturale secreti, quod violatur, & quod etiam seclusa ratione Sacramenti obligaret Confessarium. Porro, non semper contrahere hanc malitiam contra iustitiam, probat Pater Vasquez *num. 14.* quia aliquando contingit, quod seclusa ratione Sacramenti, Confessarius non teneretur seruare secretum naturale pœnitenti, ed quod redimdat in damnum innocentis, quem pœnitens iniuste lædit: quo casu violatio sigilli erit quidem contra religionem; non tamen contra iustitiam: quia pœnitens non est dignus, quod ipsi seruetur secretum. Quod videtur etiam approbare Pater Suarez *dicta selt. 1. m. 14.* Melius tamen ipse Suarez addit, probabile esse, & meo iudicio probabilius, etiam eo casu peccati contra iustitiam: quia ille, qui rem accipit sub secretò, obligat se ad illam non reuelandam, quandiu non fuerit necesse, seu quandiu necessitas non obligat ad reuelandum: sed Confessarius nulla necessitas obligat, cum ratione Sacramenti non solum sit liber à reuelando, sed etiam

etiam sit obligatus ad non reuelandum: ergo tenetur ratione pacti impliciti, quod fuit vniuersale non reuelandi, quando potuerit non reuelare. Quod maxime videtur habere locum in hoc Sacramento in quo penitens videtur totum illud secretum à Confessario exigere, quod à Christo Domino in hoc Sacramento institutum est.

Cæterum, licet ex hoc capite non desit malitia iniustitiæ: potest tamen aliquando contrahi malitia grauis sacrilegij in hoc peccato sine malitia graui iniustitiæ: quando, v. g. id quod reuelatur, est res parui momenti; nempe, aliquod peccatum veniale, cuius reuelatio paruum, vel nullum nocumentum penitenti affert, atque idem parum inuitus in ea reuelatione est: quare non est materia sufficiens ad culpam mortalem contra iustitiam; est tamen sufficiens ad culpam grauem contra reuerentiam Sacramenti, cui grauius opponitur reuelare etiam peccata venialia penitentis, vt videbimus; atque idem habebit peccatum illud malitiam grauem sacrilegij, absque malitia graui iniustitiæ.

Vnde infero secundò, debere in confessione explicari, quando interuenit malitia grauis contra iustitiam, & quando non interuenit in hoc peccato: cum enim possit reperiri reuelatio sacrilega iniusta grauius, & non iniusta grauius; neque ex ipsa confessione reuelationis sigilli colligi possit malitia grauis contra iustitiam debet explicari, quando reperitur: imò etiam, quando non reperitur, ne forte Confessarius intelligat fuisse fractionem sigilli in materia graui contra iustitiam: præsertim cum possit aliquando contingere, quod, reuelatio vnius certi peccati venialis sit etiam grauis contra iustitiam: magis enim aliquando displicet penitenti, quod publicetur aliquod peccatum veniale, quam aliquod aliud mortale, de cuius publicatione non ita curaret.

Obiici solet ex Concilio Carthagin. VII. m. 5. relato in c. Placuit 9. quæst. 2. vbi Episcopus supponitur posse aliquando dicere, quod in confessione audiuit. Sed ibi non est sermo de confessione sacramentali; sed de alia externa facta ad Episcopum interrogationem. Similiter opponi solet ex Concilio Moguntino c. 10. & 21. vbi significatur, olim fuisse in vsu, vt quædam peccata in confessione audita reciterentur, alia in publicum proferrentur. Respondetur illam publicationem fieri solitam aliquando ex consensu ipsius penitentis, qui volebat agere penitentiam publicam propter illa peccata. Alias obiectiones affert Suarez dicta scilicet 1. m. 16. & seqq. Sed illæ continent varios casus, de quibus infra videndum est, an in eis possit licite reuelari peccatum in confessione auditum.

SECTIO II.

Quas personas obliget hoc sigillum.

DE Confessario ipso non est dubium, cum pro ipso præcipue latum sit hoc præceptum sigilli. De penitente etiam certum videtur, non obligari sigillo, cum in eius fauorem impositum sit, & ab eo possit dari licentia reuelandi: tenebitur tamen ad secretum, sicut in aliis materiis, circa ea, quæ Confessarius illi sub secreto dicit; non tamen tenebitur sigillo sacramentali, quidquid dixerit Nauarrus cum aliis, quos affert Suarez disp. 33 scilicet 4. num. 2.

Circa alias personas est magna opinionum varietas apud Theologos, quæ oritur præcipue ex diuersitate fundamenti, quo singuli vtuntur ad fundandum hoc sigillum, vt constabit discurren-

P. Ioann. de Lugo de Penitentia.

do, per singulas personas in particulari. Primò ergo dubitatur de interprete, quo videtur aliquando penitens ad confitendum, de quo Caiet. & Sotus apud Suarez ibi num. 4. negant obligari sigillo, sed secreto archissimo, quod facit Sotus, in nullo casu licere reuelare.

Contraria sententia est communis, quam tenent Nauarrus, Ioannes Medina, Gabriel, Petrus de Soto, Syluester, Richard. Palud. Adrian. Vignarius, Victoria, Ledesma cum aliis, quos afferunt; & sequuntur Suarez vbi supra; & Vasquez quæst. 93. art. quart. dub. 2. n. cum S. Thom. in 4. dist. 21. quæst. 3. art. 1. quasiunc. 3. Et probari potest primò ad hominem: quia aduersarij fatentur obligari secreto strictissimo, quod nunquam liceat reuelare ad hoc autem non potest obligari solum ratione secreti naturalis, quod in multis casibus reuelari licet potest: ergo intuitu Sacramenti, atque ad id peccat non solum contra iustitiam, sed etiam contra religionem. Alioquin, quando nullum, vel exiguum nocumentum afferret penitenti, licet et saltem absque peccato graui reuelare confessionem, vt supra dicebamus: quod tamen aduersarij non concedunt; ergo fatendum est esse obligationem ex virtute religionis: ergo erit obligatio sigilli, vel certe erit quæstio de vocibus: hanc enim appellamus obligationem sigilli, quæ oritur ex reuerentia Sacramenti, & obligat ita strictè, vt nullo vnquam casu liceat reuelari.

Ratio à priori, tam pro interprete, quam pro aliis, desumenda est ex fundamento proprio huius sigilli, quod quidem, vt vidimus, imponitur propter reuerentiam Sacramenti, & ne Sacramentum confessionis reddatur onerosum, & inutile: idem quæcumque manifestatio peccati, quæ sit ad finem seruandi præceptum, vel certe faciendi eam confessionem, quam Christus instituit, affert secum illud sigillum aded firmum, & privilegiatum, vt omnes perinde se habeant, ac si nihil scivissent, vel audivissent. Cum ergo interpret non habeat aliam notitiam nisi quam accepit, vt organum medium, per quod penitens loquutus est, & per quod Confessarius audiit: non poterit vti illa notitia, quæ tota sacramentalis est: sicut, si ipsæ aures Confessarij, vel penitentis lingua haberent facultatem intelligendi, & libertatem ad dicendum aliis, quod per illas auditum, vel dictum est, independentem à voluntate penitentis, non liceret eis id facere: quia tota illa fuerat notitia sacramentalis.

Dicit aliquis: Christus non obligauit ad confitendum per interpretem: ergo confessio illa, & notitia, quæ interpreti datur, non est ad seruandum præceptum Christi: & per consequens non debuit dari sigillum pro illa notitia, quæ necessaria non est ad præceptum confessionis obseruandum. Sed contra: quia neque etiam Christus: præcepit confessionem peccatorum venialium & tamen eorum confessio non minùs obligat ad sigillum, quam confessio mortalium. Ratio autem est: quia sigilli obligatio, vt diximus, ponitur, ne Sacramentum à Christo institutum, & remedium tanti ponderis reddatur inutile, & odiosum propter periculum reuelationis: ad hoc autem necesse est, vt tota notitia, quæ necessaria est, non solum ad implendum præceptum, sed etiam ad suscipiendum illud remedium, habeat eiusmodi indemnitate, & securitatem secreti inuiolabilis. Vnde confessio etiam secunda eorumdem peccatorum, quæ certè necessaria non est, nec ad iustificationem, nec ad præceptum Christi obseruandum, non minùs affert obligationem sigilli, quam prima confessio, per quam Christi præ-

ceptum

ceptum obseruatur. Quod dictum est de interprete, dicendum esset de internuncio, si per internuncium confessio fieri posset, ut notat Suarius *dist. 4. num. 5.* quia eadem est ratio de illo, & locum habere potest in nuncio, per quem petitur facultas à Superiore ad absolutionem à peccato referuato, ut *infra* videbimus.

24. *De consiliario.* Secundò dubitatur de consiliario, quem Confessarius consulit, ad sciendum, quid debeat cum penitente facere in aliquo casu. Ioan. Medin. *Cod. de Confess. quasi de his, qui confessionem celare tenentur, in fine*, absolute negat, teneri ad sigillum, siue Confessarius ex licentia penitentis, siue iniuste illum consuluerit: Vasquez verò *dicto dub. 2. n. 10.* negat casu, quo ex consensu penitentis, vel iuste notitiam acceperit: sub qua distinctione in eam sententiam valide inclinat Coninch. *in presenti disp. 9. dub. 3. à n. 40.* ubi pro ea affert etiam P. Henriquez *lib. 6. cap. 20. n. 3.* Sed Henriquez, & ipse Coninch *num. 50.* fatentur Consiliarium, licet non teneatur sigillo; teneri tamen ad seruandum secretum strictissimum, quod nullo prorsus casu reuelandum sit quare videtur iam reduci controuersia ad questionem de nomine, ut *supra* notauimus. Denique eandem sententiam defendit Diana *1. tom. tract. 1. miscellanea. resol. 14.* ubi pro ea affert Nuhum, Onuphrium, & Megalam.

25. Contrariam sententiam affirmantem teneri sigillo, ut omnino certam tradit Suarez *dist. 4. n. 6.* ubi affert Paludanum, Nauarrum, Adrianum, Petrum de Soto, Ledesnam, & Vignerium. Eandem tenent Fillucius, Bonacina, Syluius, Pitigianus, & alij, quos affert Diana *loco citato*, & communem esse ferè omnium fatetur Coninch. *dicto. n. 50.* Quæ nobis etiam amplectenda omnino est. Probat primò Nauarrus *in Summa. c. 8. & in c. Sacerdos de penitentia, dist. 6.* quia res, ad quemcumque transeat, cum suo onere transit, *c. ex Literis, de pignoribus*, ut si res erat pignorat, vel hypothecata, semper transit cum eodem onere: res autem in confessione manifestata habet hoc onus, ut taceri debeat, quod onus prius afficit rem ipsam, & deinde personam: ergo semper transit cum eodem onere. Hanc rationem latè impugnât Vasquez *numero 12.* probans hanc obligationem sigilli: cum sit obligatio ex præcepto, prius afficere personam, cui imponitur præceptum: quare non est, sicut in pignore vel hypotheca. Aliundè etiam impugnari potest: quia res sub naturali secreto manifestata alicui non transit semper cum illo onere: nam, si ille iniuste eam deferat ad Iudicem, Iudex procedit ad inquirendum iudicialiter: ergo nec in confessione deberet res transire ad alios cum eodem onere.

26. Secundò probant Suarez, & alij: quia consiliarius ille habet se ex parte Confessarii complens cum illo, quod Consiliario deerat, quoad clauem scientiæ: quare videtur participare eandem sigilli obligationem, quasi complementum Ministri. Hæc etiam ratio non videtur efficax: quia consiliarius verè non habet clauem ad Sacramentum, cum possit esse merus Laicus; sed habet scientiam, qua instruit Confessarium, ut ipse habeat clauem scientiæ sufficientem: ex eo autem, quod aliquis sit Magister Confessarii, nullo modo est Consiliarius, aut participat eius clauem.

Meliùs probatur tertio ab absurdo: quia, si consiliarius, cui ex licentia penitentis manifestatur peccatum, non tenetur sigillo, sequitur, Sacerdotem, postquam illud consiliario reuclauit non teneri sigillo cum sciat iam illud peccatum tali notitia liberiori, qualem consiliario dedit. Ad

hoc argumentum respondet Pater Coninch *numero 49.* negando sequelam: quia Sacerdos narrans illud peccatum consiliario, id facit, ut metum instrumentum penitentis: quare non potest excidere intentionem ipsius, atque adeò non potest per illam narrationem vlli, nec sibi metipsi dare nouam illius peccati cognitionem, nisi quatenus hoc ei penitens concessit, qui nullo modo intendit Sacerdoti dare nouam cognitionem.

Sed contra hanc responsionem urgeri potest illud argumentum: nam si consiliarius ipse ex voluntate penitentis accipit cognitionem omnino liberam per te à sigillo, ipse consiliarius posset rem illam, quam iam scit, narrare de nouo Consiliario absque sigillo: unde iam Confessarius, non quidem à penitente, sed à consiliario haberet nouam notitiam illius peccati liberam ab obligatione sigilli: nam, sicut consiliarius posset licite, vel licite illud peccatum aliis narrare absque violatione sigilli nec illi etiam sigillo teneretur; sic posset eodem modo narrare ipsi Consiliario, ut eum à sigillo obligatione liberaret.

Quartò, & à priori probatur: quia tota notitia, quam Confessarius habet, est ex confessione; & idè subordinatur voluntati penitentis omnino, ut non nisi ex eius consensu possit communicari; & à fortiori, ut non nisi cum tali; vel tali limitatione communicetur: qui enim potest concedere, & negare vsum illius notitiæ, poterit à fortiori eum limitare. Poterit notitiam illam, non solum quoad se ipsam, sed suos effectus, subordinari voluntati penitentis, constat: quia etiam aduersarij fatentur, si casu aliquis iniuste à Sacerdote accepisset notitiam peccati, obligari sigillo & non posse uti illa notitia, nisi de consensu penitentis. Posset ergo penitens tunc ei concedere, quod videretur ea notitia, & loqueretur cum duobus, vel tribus de re illa: quia, nimirum, notitia illa habebatur solum ex notitia, quam per confessionem habuerat Confessarius; & idè omnis alia notitia ex illa orta semper manet sub potestate penitentis. Sed potest penitens, non data Consiliario alia notitia sui peccati, concedere illi, ut det notitiam consiliario: ergo notitia illa, quam habebit consiliarius in eo casu manebit subordinata penitenti, cum sit notitia solum habita ex notitia per confessionem data.

Respondet aliquis ex doctrina Patris Coninchi *numero 45.* eo ipso, quod penitens det licentiam Consiliario consulendi alium virum doctum, dare illi aliam notitiam sui peccati extra confessionem, quam possit communicare consiliario, quare notitia consiliarij non habetur etiam mediata ex cognitione sacramentali. Sed contra primò: quia, si hoc esset, iam Confessarius ex vi illius notitiæ, extra confessionem data, posset loqui sine obligatione sigilli, etiam cum aliis, & multò magis cum ipso penitente pro libito: consequens autem est falsum: quia præter actum consulendi illum Doctorem, manet ligatus sigillo, sicut antè. Contra secundò: quia potest penitens illi, qui iniuste accipit notitiam sui peccati à Consiliario, nulla alia notitia ei data permittere, quod vtriusque illa in ordine ad talem, vel talem effectum solum: ergo poterit etiam ipsi Consiliario permittere, ut vtriusque notitia confessionis in ordine solum ad talem: vel talem effectum consulendi Doctorem: & hoc nulla alia data ei notitia peccati: tunc autem notitia consiliarij, erit mediata ex sola notitia confessionis: ergo manebit sub eodem sigillo, sicut quælibet alia, quæ pendet, à sola notitia confessionis, hæc autem est de facto intentio penitentis

dantis illam licentiam : vult enim illam dare eo meliori modo, quo possit retinere obligationem sigilli, quantum fieri possit.

30. *Consilium à duobus confessoribus circa idem quoniam in se genere dicitur.*
Hinc infero, quando aliquis consultus est circa idem peccatum à duobus Confessoribus, quibus penitens seorsum confessus est, debere cum singulis loqui, ac si alia via illud non sciret : nec posse vni dicere aliquam aliam circumstantiam diversam, quam ab altero didicit, sed singulis respondere debet iuxta ea, quæ singuli narrant. Poterit tamen dicere sub conditione: Si res non esset hoc modo, sed alio diverso cum tali circumstantia, aliter descendum esset. Hoc verò ipsum debet cautè facere, & salvo sigillo.

31. Obijciunt primò, quando penitens dat licentiam Confessorio virum doctum consulendi, perinde est, ac si ipse penitens consuleret virum doctum : facit enim per Confessorium, quasi per intermedium, quod faceret per seipsum : si autem per seipsum immediatè consuleret, non obligaret consiliarium ad sigillum, cum loqueretur omnino extra confessionem : ergo consulendo etiam per Confessorium non obligat ad sigillum. Respondetur, negando maiorem : nam in primo casu notitia consiliarii nullo modo penderet ex confessione, sicut pender in secundo casu : & idèd non per se, sed per Confessorium vult penitens consilere Doctorem, vt tota illa notitia habeatur, & maneat sub eodem sigillo. Quæ cautela adhiberi etiam solet respectu ipsius Confessorij : quando enim aliquis vult aliquem frequenter consulere de aliqua materia, consensitur prius illi, & dicit ei sub sigillo rem ipsam, & postea dat illi licentiam, vt salvo sigillo possit cum ipso solo loqui de re illa extra confessionem. Ecce tunc extra confessionem consulit sepius, & confert cum Confessorio de re illa : & tamen, quia non vult dare ei aliam notitiam, nisi dependenter à prima, quam habuit ex confessione, semper manet sub sigillo : quod non esset, si ipsum absque præcedente confessione consuleret.

32. Obijciunt secundo, quia Christus imponens obligationem sigilli, solum voluit prospicere ei peccatorum narrationi, quæ necessaria est ad obtinendam sacramentalem absolutionem, quam instituerat : ad hunc autem finem non est necessarium, quòd Confessorius alium consulat, præsertim ita vt persona penitentis cognoscatur : eiusmodi enim consultatio fieri solet : quia Confessorius dubitat de aliqua obligatione penitentis, v. g. ad restituendum, vel ad relinquendum occasionem, vel abstinendum à contractu, vel à matrimonio, & similibus : quæ quidem non sunt necessaria ad absolutionem : ad hanc enim sufficit confiteri peccata & proponere in futurum facere id, quod viri docti licitum indicabant : quare consultatio illa tam esset necessaria, etiam si non fuisset institutum Sacramentum penitentiae, cum solum requiratur ad hoc, vt penitens obsequer legem, Dei, & vitet peccata in futurum : ergo obligatio sigilli non est imposita ad illam consultationem, cum necessitas consultationis nec oriatur ex institutione Sacramenti, nec sit ad obtinendam absolutionem sacramentalem, qui fuit finis adequatus illius sigilli. Ita argoit Coninch n. 43.

33. Respondetur in primis, aliquando consultationem esse necessariam ad absolutionem obtinendam : quia dubitat Confessorius de sufficientia dispositionis, vel de facultate sua ad absolvendum. Sed quidquid sit de hoc, admittimus, sigilli obligationem positam esse ad illum finem, & non ad finem consultationis. Cæterum, quia ad finem absolutionis obtinendæ, manet sub sigillo confessio, &

P. Ioann. de Lugo, de Penitentia.

omnis notitia, quæ ab ipsa dependet ; manet etiam notitia consultoris, quando datur dependenter à notitia confessionis, vt diximus. Oportuit enim ad securitatem penitentis, quòd confessio ita maneret sub sigillo, vt omnis notitia, quæ ab ipsa confessione penderet, maneret etiam sub eodem sigillo ; atque adeo, quòd solus penitens possit dare licentiam communicandi illam notitiam aliis. Si penitens autem potest negare, & concedere communicationem illius notitiæ, poterit etiam limitare illam communicationem ; quia ad eum pertinet limitare licentiam, ad quem pertinet eam concedere, vel negare. Potest ergo penitens concedere Confessorio licentiam communicandi illam notitiam, sed limitatam ; id est, manentem sub eodem sigillo : quod totum non fuit inductum ad finem consultationis, sed ad finem confessionis, vt magis securè confiteretur, sciens, totam illam notitiam confessionis, & omnem aliam ex illa derivatam manere sub sigillo, cuius clauem haberet ipse solus penitens, & quòd posset, vel totaliter : vel solum ex parte aliqua aperire pro suo libito.

34. Tertiò principaliter dubitatur de Prælo, seu Superiore, à quo petitur licentia ad absolutionem à peccato referuato, de quo Coninch *ubi supra*, n. 47. docet, idem dicendum esse, quod de consiliario, quando extra Sacramentum petitur illa licentia ; secus quando petitur à Confessorio ex licentia penitentis, qui solum ex confessione nouit illud peccatum. Hentiquez *ditto c. 20. num. 3.* dicit, proximè accedere illam obligationem ad sigillum Sacramenti, atque adèd in nullo casu posse violari, licet secretum naturale posset. Pater Suarez *ditto sect. 4. n. 3.* dicit, Superiorem teneri eadem obligatione sigilli, sicut Confessorium ; & assert pro se Victotiam in *Summa*, n. 190. *de confess.* Et hoc dicendum planè est absque distinctione : quia notitia illa, quam Prælatus accipit à Confessorio, semper oritur ex notitia, quam ipse in confessione inchoata accepit à penitente : quare iuxta regulam *supra* positam transit cum eadem obligatione ex intentione penitentis.

35. Magis posset dubitari, quando non per Confessorium, sed per se ipsum recurrit subditus ad Prælatum, & petit ab eo licentiam, vt absoluat à referuato : quia ille recursus non videtur esse confessio sacramentalis, cum non sit in ordine ad absolutionem ab eo obtinendam, sed petitio licentiæ confitendi. Adhuc tamen in eo casu videtur esse obligatio sigilli : quia Auctores citati fatentur, tunc etiam Prælatum teneri ad secretum arctissimum, nullo vnquam casu violabili : hæc autem tam stricta obligatio non potest esse solum ex iustitia, aut sacro naturali, vt vidimus ; sed debet esse ex virtute religionis propter reuerentiam Sacramenti, atque adèd non differt à sigillo, nisi in vocibus, quatenus non oritur ex confessione immediatè, sed per ordinem ad confessionem. Ratio autem est quia hoc etiam necessarium est ad finem Sacramenti, cum à peccatis referuatis non possit obtineri absolutio directæ sine consensu Superioris.

36. Sed obijci Coninch *num. 44.* non esse hoc necessarium ad finem Sacramenti, cum possit subditus confiteri eidem Prælo immediatè : non ergo fuit necessarium imponere obligationem sigilli, etiam quando recurrit pro licentia. Sed contra hoc est in primis, aliquando non posse subditum Superiiori confiteri : quando, v. g. Superior non est Sacerdos, nec potest absolutio obtineri, nisi petita ab eo licentia, vt alius absoluat. Vnde, quamuis id petat per Confessorium, perinde est, ac si peteret per seipsum ; & in vtroque casu

casu retinet ius ad sigillum, cum in utroque casu compareat coram Superiore ad observandum Christi præceptum, & obtinendam absolutionem sacramentalem. Et licet possit aliquando petere per Confessarium facultatem, non nominando personam; hoc tamen est per accidens: potest enim Confessarius nolle id onus assumere, & Superior etiam potest validè nolle dare licentiam, nisi compareat, vel nominetur subditus. Quare, si subditus se vult manifestare Superiorem, habet ius ad sigillum, faciendo id, quod per se requiritur ad finem Sacramenti.

37.

Dices: Quando subditus recurrit ad inferiorem, & inferior petit licentiam à Prælato, non interuenit vlla notitia ex confessione: quia illa notitia data Confessario inferiori, non potuit esse confessio sacramentalis, cum non fuerit coram legitimo Iudice, quippe qui nondum habebat iurisdictionem: ergo notitia, quam postea inferior dat Superiorem, non procedit ex notitia confessionis, sed ex notitia data extra confessionem. Respondetur, neminem dubitare, quod Confessarius inferior accipiat tunc sub sigillo illam primam notitiam, ut notat Suarez *sect. 2. n. 4.* quia, licet illa non sit confessio legitima: est tamen inchoata confessio, & in ordine ad absolutionem sacramentalem ab eodem obtinendam: quia licet non habeat pro nunc iurisdictionem completam ad hoc peccatum: habet tamen illam inchoatam, quatenus habet à Christo claves per potestatem Ordinis; & est iudex, ad quem spectat iudicare, an hic, & nunc sit reservatum hoc peccatum; & an sit causa absolvendi ab illo sine recursum ad superiorem, quod sufficit, ut debeat illud accipere sub eodem sigillo.

Adde, adesse bonam fidem ex parte pœnitentis, qui putat, illum esse legitimum Iudicem, atque idè ex parte ipsius fuit confessio sacramentalis: quod sufficit ad inducendum sigillum, ut *infra* videbimus: vel certè, si pœnitens sciebat, illum non habere iurisdictionem, ad minus volebat per illum petere facultatem à superiore: sicut autem nuncius ad Confessarium, vel interpret obligatur sigillo, ut *suprà* vidimus: sic etiam nuncius, quo quis addit Prælatus, videtur obligari sigillo, sicut ipse Prælatus, & per consequens ex hoc saltem titulo obligatur tunc Confessarius.

38.
Quid si alicui
Confessarius
iniquè reu-
lans

Quartò dubitatur de illo, cui Confessarius iniquè manifestavit peccatum auditum in confessione. De quo omnes præter Ioann. Medinam, *suprà* allegatum, fatentur, obligari eodem sigillo. Et constat ex dictis: quia tota illa notitia non aliunde habetur, nisi ex sola confessione: quare tota debet manere sub potestate, & sigillo pœnitentis: Ita Suarez *dicta sect. 4. n. 8.* Valquez *dub. 2. num. 10.* & alij, quos afferunt.

39.
De eo, qui au-
dit pœnitentem.

Quintò dubitatur de illo, qui casu, vel ex industria audit pœnitentem, dum confitetur: de quo similiter concedunt omnes, præter Sotum, obligari eodem sigillo: Sotus enim distinxit inter malignè, vel licitè audientem: & non agnovit secretum sigilli, sed aliud inferius. Alij verò dicunt, obligari sigillo: quia tota illa notitia habetur ex confessione, cum pœnitens nulli loquatur, nisi Confessario, cui peccata manifestat. Videatur idem Suarez *ibi*, *num. 7.* & Valquez *num. 3.* Non est autem eadem ratio, quando aliquis vult adesse aliquos præsentis ad sui confessionem, in quorum præsentia confiteatur Sacerdoti: nam illi non obligantur sigillo, ut bene notavit Coninch *num. 46.* quia isti non norunt ex confessione; sed ex manifestatione, qua ipsis etiam pœnitens peccata manifestat: illa enim loquutio est virtute multiplex, & proptèr dirigitur ad solum Confessarium,

est confessio sacramentalis; proptèr verò dirigitur ex intentione pœnitentis ad circumstantes: non est confessio sacramentalis, sed narratio ad confusionem, & humilitatem propriam. Unde posset etiam tunc Confessarius loqui de illis peccatis absque violatione sigilli, non utendo scientia proptèr ex manifestatione sibi facta, sed ex manifestatione facta alijs, quam ipse etiam audiuit. Si verò ex intentione pœnitentis loquutio non dirigitur ad illos, sed ad solum Confessarium, tenebuntur sigillo, ut contingit, quando in naufragio, vel incendio aliquis alta voce confitetur; tunc enim circumstantes obligantur ad sigillum: quia norunt illa peccata ex sola confessione, qua pœnitens soli Confessario vult illa manifestare, & præter eius intentionem ab alijs auditur. Unde licet in foro confessus quis esset, & præter eius intentionem ab omnibus audiretur: idem dicendum esset omnes obligari sub sigillo, nec posse ad invicem inter se loqui de peccatis, quæ audierunt. Sicut, si aliquis idem peccatum confessus esset successivè omnibus, & singulis Confessariis Romæ existentibus, & hoc ipsum omnibus in confessione dixisset, non possent tamen illi inter se ipsos de illo peccato loqui; quia omnes, & singuli ex sola confessione sacramentali illud nonerunt.

Sextò dubitatur de eo, qui se Sacerdotem fingit, & audit confessionem, an obligetur ad sigillum sacramentale: de quo etiam est ratio dubitandi, cum illa non sit confessio sacramentalis, ex qua sola sigillum oritur: quare Sotus apud Valquez *n. 3.* non videtur illam appellare obligationem sigilli, sed alterius rationis. Communiter tamen omnes agnoscunt eandem obligationem, Valquez *ibi*. Suarez *sect. 2. n. 3.* ubi affert Gabrielem, Peludanum, & Adrianum. Ratio autem est: quia ex intentione, saltem pœnitentis, fuit confessio sacramentalis, cum ipse ea intentione confessus sit, ut obtineat absolutionem à Christo institutam.

Ex hoc oritur septimùm dubium de eo, qui scienter confitetur laico, vel devotionis, & humilitatis causa, vel ex ignorantia, quia putat esse validam confessionem laico factam; an confessio illa afferat sigilli obligationem. Aliqui, quos affert Suarez *sect. 2. n. 2.* putant, oriri sigilli obligationem: ipse tamen cum communi negat, & Valquez *dub. 2. n. 7.* Et quidem, quando solum devotionis, vel humilitatis causa fit, non est dubium, cum illa non sit confessio sacramentalis à Christo instituta, etiam in existimatione pœnitentis. Difficilis est, quando pœnitens putat, esse validam, & sacramentalem illam confessionem, saltem in necessitate: nam quando Sacerdos caret iurisdictione, siue ex culpa, siue ex ignorantia Sacerdotis id faciat, & confessio non sit valida; adhuc oritur sigilli obligatio, quia pœnitens putabat esse validam, & idem diximus, quando putabat esse Sacerdotem, & non erat: ergo idem dicendum erit, quando putabat laicum posse validè absolvi: cum tunc etiam confiteatur ex intentione absolutionis validæ à Christo institutæ.

Respondent Suarez, & Valquez, loci citati, differentiam esse, quòd in primo casu est deceptio ex errore, & ignorantia facti: in Secundo autem est deceptio in iure, quod ignoratur. Oportet tamen addere rationem, cur magis ignorantia circa ius tollat sigillum, quam error circa factum, cum in utroque casu pœnitens intenderit absolutionem sacramentalem. Ratio ergo reddi potest hæc, quòd in primo casu pœnitens apprehendit confessionem, & absolutionem veram, quam Christus instituit, scilicet, confessionem factam Sacerdoti habenti

habenti potestatem, & iurisdictionem legitimam, licet erret putans esse Sacerdotem, vel habere iurisdictionem, qui vel Sacerdos non est, vel caret iurisdictione. In secundo autem casu non intendit, nec apprehendit verum Sacramentum, & absolutionem à Christo institutam; sed aliam fictam, quam ipse ex suo errore sibi fingit: Christus enim instituit confessionem factam Sacerdoti; ipse autem intendit confessionem factam Laico, quam Christus non instituit: quare non mirum, si non oriatur sigillum; hoc enim Christus imposuit in favorem Sacramenti à se instituti, ut ex illius intentione nemo incurreret periculum infamiae: iis vero, qui non intendunt tale Sacramentum, sed aliud fictum omnino diversum, non est annexum privilegium sigilli. Sicut, si aliquis ex errore putaret confessionem factam coram imagine Crucifixi esse sacramentalem, ille, qui cum auscultaret, non teneretur ad sigillum, cum illa nullo modo sit confessio sacramentalis à Christo instituta.

43. Hinc inferitur, quando poenitens confitetur sine ulla intentione absolutionis obtinendae, non oriri sigilli obligationem: quia illa non est etiam in apprehensione confessionis sacramentalis, quam Christus instituit. Unde, licet ipse poenitens protestetur, se loqui sub sigillo, nihil refert, si verè constet, non accedere ad finem obtinendi absolutionem; quod, vel ex ipsius dictis constare potest, vel ex factis, si appareat, accessisse solum animo inducendi Confessarium ad aliquod peccatum: è contra verò, si poenitens confitetur animo obtinendi absolutionem, Sacerdos verò non habet animum absolvendi; oritur sigillum, ad quod sufficit, & requiritur intentio poenitentis. Addit tamen Suarez illa *sect. 2. n. 5.* quod si Sacerdos protestetur à principio se nolle audire confessionem, licet poenitens conetur confiteri, & velit eum obligare; non poterit sigilli obligationem inducere: quia non potest inuitum cogere, ut sacramentaliter audiat.

44. Hoc tamen non videtur omnino in rigore verum, nec satis consequenter dictum: quia ipse *eadem n. 5.* paulò ante dixerat, non requiri intentionem absolvendi in Sacerdote, dum audit confessionem; sed posse esse confessionem validam, licet dum audit, habuisset intentionem non absolvendi, nec perficiendi Sacramentum: potest enim postea mutata intentione absolvere absque nova confessione. Et certè ita est, quod ad audiendam confessionem non praequitur consensus Confessarii: nam, si ipso nihil tale cogitante, aliquis moribundus occurrat ei, & dicat: *Pater, ego me accuso de tali peccato: absolue me.* illa certè erit confessio sacramentalis, & poterit eum absolvere: quia in Iudice, ad iudicandum, non praequitur intentio audiendi accusationem: sed sufficit eam, & legitimas probationes audire, etiam absque intentione, ut possit proferre sententiam, ad quam requiritur intentio. Quamvis ergo Sacerdos dicat, se nolle, audire confessionem: si tamen eam etiam inuitus audit, illa confessio sufficit ad absolvendum intentione mutata, absque nova confessione: ergo illa confessio, quantum est de se, sufficit ad Sacramentum conficiendum: atque aded afferret obligationem sigilli, licet fortasse non afferat obligationem illam fecerati naturalis, quae oritur ex pacto explicito, vel implicito, cum non potuerit inuitus, & reluctans obligari aliquo modo ex pacto etiam implicito.

45. Aduertendum etiam est, cum dicimus, requiri ex parte poenitentis intentionem confitendi sacramentaliter, in ordine ad absolutionem optinendam, intelligendum hoc esse cum aliqua latitudine,

Nam licet poenitens videat se non esse sufficienter dispositum ad absolutionem habendam, poterit illa confessio inducere obligationem sigilli. Unde in *c. Quod quidam, de poenit. & remiss.* dicitur admittendas esse, & audiendas confessiones meretricum, & aliorum similium, licet non sit danda eis absolutio. Requiritur ergo, quod poenitens non solum consilij petendi gratia veniat, sicut posset venire ad Diaconum, vel ad laicum; sed tanquam ad Iudicem in illo foro, ut iudicet de illius dispositione, & dirigat eum in ordine ad id, quod deesse iudicat, ut possit absolutionem aliquando obtinere: quare oportet, quod ex parte confessionis velit aliquo modo facere id, quod Christus praecepit. Quae intentio à posteriori colligitur: nam si in illa qualicumque confessione grauitur mentiretur, putaret se committere sacrilegium contra veritatem, & fidelitatem, ac contra integritatem confessioni debitam: apprehendit ergo eam tanquam confessionem à Christo institutam, & ex parte sua sacramentalem, licet ob indispositionem non possit compleri per formam Sacramenti.

46. Adde ulterius, non videri mihi necessarium ad inducendam obligationem sigilli, quod poenitens in ipsa confessione habeat propositum firmum recipiendi absolutionem, si Confessarius iudicauerit eum dispositum: posset enim fortasse poenitens velle confessionem ex se sufficientem inchoare in ordine ad absolutionem, reseruando sibi potestatem, si vellet, postea non exigendi absolutionem, sed differendi eam ad aliam occasionem magis opportunam. Non tamen approbo, quod aliqui faciunt, qui vt Sacerdotem ad sigillum obligent, dicunt se velle confiteri; & postquam rem, quam volebant, quasi in confessione narrarunt, dicunt: *Pro nunc non curo de absolutione: volo enim illam ad aliud tempus differre.* Hoc inquam, non approbo: quia hi ab ipso initio accedere videntur absque vilo animo absolutionis exigendae, sed solum in fraudem, & vt privilegium sigilli lucrentur, fingunt, se animo absolutionis obtinendae confiteri, cum reuera habeant animum omnino contrarium. Ad inducendam ergo hanc sigilli obligationem, oportet bona fide accedere cum animo non impediendi absolutionem, si Confessarius absolvendum iudicat, vel certè absque animo contrario. Alioquin, quoties aliquis cum Sacerdote loquitur, posset dicere, se loqui in confessione, & cum animo absolutionem suo tempore exigendi.

47. Octauò dubitatur de illo, qui inuenit chartam, in qua poenitens sua peccata scripsit ad confessionem faciendam. De quo aliqui dicunt obligari ad sigillum confessionis. Rodrig. Maldetus, Fagund. Grassius, Vega, Vivaldus, Navarra, Delrins, Homobon. Zanardus, & alij, quos affert, & sequitur Diana *2. tom. tract. 4. de Sacram. ref. 112.* quia illa charta est quasi internuncia, & confessio inchoata.

Alij id negant, Suarez *dicta sect. 4. n. 5.* Coninch. *n. 50.* Layman, Henriq. Megala, Onuphrius, & alij apud eundem Dianam *loc. cit.* Quae sententia, regulariter loquendo, videtur verior: quia sigillum, vt diximus, oritur ex confessione: illa autem scriptura non est confessio; sed materia confessionis praeparata, vt facilius fiat confessio. Sicut ergo, si poenitens, dum facit apud semetipsum examen ad confessionem, loqueretur voce intelligibili, ille, qui audiret, non obligaretur ad sigillum: quia non audiuit confessionem, sed praeparationem ad confessionem: sic scriptura illa nihil aliud est, nisi praeparatio ad confessionem, quam pro sua memoria facit poenitens: ergo notitia ex illa scriptura non oritur ex confessione: sed ex praeparatione poenitentis

tentis apud semetipsum ad confessionem. Fateor illos, qui olim dicebant fieri posse confessionem per litteras, debuisse consequenter dicere litteras illas ad Confessarium missas, si ab aliquo interciperentur, & legerentur, obligare ad sigillum: quia illa epistola erat vera confessio: hoc tameniam non habet locum, cum confessio per litteras non sit vnam sacramentalis confessio.

48.
Quid, si mu-
tus, confiteatur
per litteras
Confessario
præsenti.

Dixi tamen, regulariter, esse veram hanc sententiam: quia adhuc in vno, vel altero casu possumus admittere contrariam habere locum. Primum, si aliquis mutus confiteatur per scripturam Confessario præsenti, & hanc scripturam aliquis casu legeret, maxime dum in ipso actu confessionis est in manu Confessarii, teneretur utique ad sigillum: quia illa scriptura tunc est loquutio; & confessio propria, cum non aliter confiteatur mutus ille, nisi per illam scripturam. Imò, licet post absolutionem aliquis inuenisset eam in confessionali, probabile videtur, quod teneretur ad sigillum: quia illa videtur esse ipsa confessio manens. Quod in casu aliquo metaphysico contingere posset in ipsis vocibus: si aliquis, v. g. confiteretur per voces in loco, ubi post moram longiusculam ab echo, per reflectionem reuertuntur eadem verba: posset tunc contingere, quod data interim breuiter absolutione, postea reuerterentur verba ultimi peccati, & aliquis tunc adueniens illa audiret: vidi enim ego locum, in quo post Symbolum fere recitatum reuertebantur: tunc ille proculdubio teneretur ad sigillum: quia accepit notitiam ab eadem confessione perseverante in aëre per totum illud tempus. Sic ergo scriptura illa videtur esse eadem confessio, & eadem loquutio pœnitentis permanens in charta, etiam quando iam actu non confiteatur.

49.
Quid de le-
gente litteras
petentis licen-
tiam, ut ab-
solvatur à ca-
su reservato.

Secundò, potest locum habere illa sententia, quando aliquis per litteras peteret à Prælato licentiam ad hoc, ut absolueretur à tali casu reservato: cum enim dixerimus *supra* cum communi sententia, prælatus, à quo petitur licentia, manere obligatum ad sigillum, consequens est, ut ille, qui casu audiret subditum petentem illam licentiam, teneretur ad sigillum, sicut, qui audit pœnitentem confitentem, tenetur, sicut ipse Confessarius. Idem autem videtur esse de illo, qui legit litteras, quibus subditus petit talem licentiam: nam per illas loquitur formalissimè cum Prælato, atque ideò notitia ex iis litteris habita, haberetur omnino ex petitione, qua subditus recurrit ad Prælatum, & petit ab eo licentiam pro suo peccato reservato. In his ergo, & similibus casibus, si qui essent, admittenda videtur prima sententia: in aliis verò, in quibus scriptura solum deferuit pro ipso pœnitente, & eius memoria, prior sententia videtur præferenda. Sed licet non sit obligatio sigilli: erit tamen obligatio gravissima secreti naturalis, & humani.

SECTIO III.

Qua sit materia huius sigilli.

50.
Peccata om-
nia, etiam
venialia.

PRIMUM certum est, peccata omnia mortalia, imò & venialia esse materiam sigilli: cum hoc tamen discrimine, quod mortalia non solum in specie, sed etiam in genere: venialia verò in specie, non in genere: potest enim dicere Confessarius: *Iste mihi confessus est sua peccata venialia*. Nam eo ipso, quod confessus est, supponitur confessus venialia: quare, sicut potest dicere confessum esse: ita potest dicere confessum esse venialia, & pro illis pœnitentiam accepisse. De mortalibus verò non potest dicere, confessum esse mortalia, etiam

in genere: quare videtur nec posse dicere, confessum esse peccata venialia graviuscula, vel plurima: quia horum confessio non arguitur ex meta confessione. Unde inferunt communiter Doctores, cavendum etiam esse, ne post auctorem, vel trium confessiones auditas, dicat Confessarius de solo vno: *Hic mihi confessus est sola venialia*. dat enim occasionem illa singularitas suspicandi, alios confessos esse mortalia. Quando tamen de illo solo seorsim ageretur; non esset contra sigillum, laudare illum de puritate conscientiae, & quod in suis confessionibus vix inveniatur absolutio materiae: quia tunc nulla videtur fieri comparatio, aut exclusio aliorum, de quibus non occurrit tunc occasio loquendi.

Huic communi doctrinæ ex parte aduersatur Lexima 2. part. 4. q. 11. art. 1. c. 5. qui dicit, peccatum veniale alicuius dicentem, addendo, se illud ex confessione scire, violare sigillum mortaliter; venialiter verò, si solum illud referat, non dicens, se illud ex confessione nosse. Hoc tamen alij merito reiciunt. Primum, quia gravitas huius revelationis non oritur per accidens ex scandalo aliorum; sed propter reuerentiam Sacramenti. Secundò, quia etiam ex revelatione materiali sit odiosus confessio venialium, maxime cum aliquis mallet revelari aliquid suum peccatum mortale, quam aliquid veniale: v. g. miles nobilis mallet revelari, quod strenuè percuisset inimicum, qui cum inhonoraretur: quam invidiæ levis affectum, quem habet contra aliquem commilitonem. Tertiò, addere possumus, quod si revelatio materialis non esset peccatum grave, non sequeretur scandalum grave de illa, etiam si constaret revelari auditum in confessione: cur enim homines prudentes scandalizarentur de revelatione, quæ in se non esset gravior contra Sacramentum, nec contra pœnitentem?

Secundò, certum est, obiecta, & circumstantias peccatorum esse materiam sigilli; neque enim obiectum minus retraheret à confessione, horum revelatio, quam ipsius peccati: v. g. si aliquis confiteatur, se petiisse debitum ab vxore, licet haberet votum sigilli castitatis, non potest sine violatione sigilli dici, quod illa habeat votum castitatis. Hinc autem oritur prima difficultas, an peccatum committendum sigilli sit etiam materia sigilli: v. g. si aliquis fateatur, se habere propositum occidendi inimicum. Aliqui distinguunt: si enim pœnitens habet propositum ad huc illud peccatum committendi, potest revelari ei, qui pœnitenti prodesse potest, quia tunc non est materia absolutionis: si verò non habet iam tale propositum, non potest. Quam distinctionem Vasquez num. 4. cum S. Thom. in 4. dist. 21. q. 3. art. 1. q. 1. ad primum, dicit, esse erroneam: nam, licet illud non sit materia absolutionis sine proposito abstinendi; est tamen materia confessionis: alioquin quoties pœnitens non absoluitur propter indispositionem, possent revelari omnia eius peccata.

Alij aliter distinguunt: si enim pœnitens habet merum propositum, quod nondum exequutus est, non est materia sigilli: si verò iam ex parte exequutus est, erit materia sigilli: ut si propositum habet fornicandi cum ea, cum qua iam semel fornicatus est. Ita Alex. q. 19. membr. 2. art. 2. quem sequitur Sylvester, Angelus, Palorm. & alij apud Vasquez n. 6. Sed caret fundamento: quia in utroque casu peccatum futurum habet connexionem cum proposito præsentis, quod est materia confessionis. Limitatur tamen meritò hæc doctrina quando confessio illius propositi non sit verè animo confitendi, sed inducendi Confessarium ad illud peccatum:

peccatum: ut si Hæreticus animo pervertendi Confessarium confiteatur illi tentationes, quas habet ad deferendam fidem, & motiva: tunc enim, si de tali animo constat, posset, & deberet Confessarius perversum illum Hæreticum denunciare.

§4.
An defectus
naturalis.

Secunda difficultas, & gravior circa eandem doctrinam, est, an defectus naturales, qui manifestantur occasione peccati, sint etiam materia sigilli, v. g. defectus natalium, vel macula originis, vel ignorantia, quæ reddit indignum officio, quod exercet. Pater Vasquez *num. 2.* dicit, non esse materiam sigilli, quando nullum indicium dare possunt peccati commissi: v. g. si confessus est voluntatem, quam habuit merè internam, suscipiendi aliquod Officium, quod suscipi non poterat cum defectu illo occulto natalium, vel originis, quem patitur. Secus verò esset, si iam illud officium susceperat: tunc enim reuelando illud defectum, reuelaret simul, peccasse penitentem accipiendo tale officium.

§5.

Contraria tamen sententia communis est, & vera, quam tenet Soto *dist. 18. q. 4. art. 5. post 2. conclus.* Suarez *ubi supra n. 5.* Coninch *disp. 9. dub. 1. n. 13.* Bonac. *disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 2. n. 10.* & alij communiter. Probat: quia ex horum reuelatione magis odiosa, & onerosa redderetur confessio, quam ex reuelatione peccati, mallet enim homo sua peccata manifestari, quam eiusmodi defectus: quos tamen sæpe oportet Confessario dicere ad explicandam speciem peccati, atque idè obiectivè videntur esse pars ipsius peccati.

§6.
Non omnia à
penitente à
dici remanent
sub sigillo.

Contra hoc tamen videtur esse tertia difficultas: quia non omnia, quæ à penitente dicuntur ad explicandum suum peccatum, remanent sub sigillo: v. g. si ad explicandam speciem adulterij in turpi desiderio, dicat se esse coniugatum; vel ad aliam speciem declarandam dicat, se esse Sacerdotem, se esse Gubernatorem, Dominum temporalem, & similia; non videntur contineri ea omnia sub sigillo, ita ut peccet mortaliter Confessarius dicens: *Audim hodie Gubernatorem, vel Dominum huius Castellæ, vel Sacerdotem*, ex quibus nullo modo indicatur eorum peccatum: ergo, quoddam aliquid dictum fuerit ad explicandum peccatum, non facit, quoddam illud maneat sub sigillo.

§7.

In hoc puncto distinguendum videtur: nam ex vno capite non possumus negare aliqua eiusmodi, maximè defectus penitentis, manere sub sigillo, propter rationem *suprà* adductam: & quia aliqui, si penitens se accusat, quod voluit celebrare cum irregularitate occulta ex defectu lenitatis absque peccato contracta, posset Confessarius, absque sigilli violatione, publicare eius irregularitatem, quæ non est peccatum, sed circumstantia illius voluntatis peccaminosa: quod quidem est contra omnium fidelium sensum. Aliundè verò negare non possumus, quoddam multa dicuntur à penitente, etiam initio confessionis ad explicandum suum statum, quæ necessaria sunt ad noticiam peccatorum, quæ tamen non videntur exigere sigillum, ut in exemplis *suprà* adductis, qui dicit se esse coniugatum, habere filios, esse artificem, vel mercatorem. Undè distinguendum videtur circa eiusmodi circumstantias, & recurrendum omnino ad intentionem penitentis, qui aliquando eas narrat solum quasi præpositivè, & quasi extra confessionem, ut aliquam noticiam præsuppositam det Confessario ad melius intelligendum postea suum peccatum, volens supplere noticiam communem, quæ deest Confessario de eius persona, aut de rebus aliis publicis, quas per accidens Confessarius ignorat: & hæc non videntur committi sub sigillo, quando non sunt peccata. Alia verò di-

cit penitens coactus, ut manifestet peccatum suum, quæ non diceret, nisi ad eum finem: & hæc videntur ab eo dici sub eodem sigillo: quia ex modo dicendi satis indicat, se illa dicere nullo modo extra confessionem dicturus: & hoc modo videtur dicere omnia, quæ dicit, nisi ex ipsa publicitate rei constet, solum priori modo dicta esse. Undè cum proportionem idem credo de peccato alieno, quod est circumstantia peccati proprii: v. g. si penitens dicat: *Accuso me, quod ganisus sum de illo homicidio, vel rixa, heri in foro facta.* quàm licet Sacerdos per accidens ignorasset, cum publica esset, nihil refert: nam penitens illam potius præsupponit omnibus notam: & idè non dicit illam sub sigillo: sed solum suum peccatum circa illam, tanquam circa obiectum commissum.

§8.

Virtutes, &
revelationes
an sint ma-
teria sigilli.

Hinc infero primò, quid dicendum sit de virtutibus, de revelationibus, & similibus gratis, quas in confessione penitens manifestat: de quibus uniuersaliter dicunt aliqui non esse materiam sigilli: cum non sint peccata, nec materia confessionis. Ita loquitur S. *verbi Confessio, n. 32.* Nauarrus *in c. Sacerdos de penit. dist. 6. n. 51.* Henriquez *lib. 6. c. 21. n. 1.* & Bonac. *dicto punct. 2. n. 11.* Sed distinguendum credo: aliquando enim prædicta dicuntur ad habendam instructionem à Confessario, vel ad manifestandum integrè conscientiam statim; & tunc non pertinent ad materiam confessionis, nec pertinent ad sigillum, sed ad secretum naturale. Aliquando verò dici possunt ad declarandum melius aliquod peccatum, v. g. ingratitudinem erga Deum post hæc, & illa dona, & beneficia Dei, vel inconstantiam in bono post tale propositum firmum procurandæ perfectionis, & similia; & tunc credo, quoddam pertinent ad sigillum, cum iam sint, saltem in obliquo, materia confessionis: & aliunde apparet, quoddam penitens non vult illa extra confessionem manifestare, sed retinere illa sub sigillo ætissimo confessionis.

§9.

Etiam un
necessaria
pertinent ad
sigillum.

Infero secundò, non solum pertinere ad hoc sigillum illa, quæ necessaria sunt omnino: sed etiam ea, quæ vitia sunt, vel certè à penitente æstimantur vitia ad melius declarandum suum peccatum. Ita Suarez *dicta sect. 3. n. 5.* quia alioquin onerosa redderetur confessio, cum penitens non sciat frequenter discernere: quæ sint necessaria, quæ vitia, quæ inutilia ad eum finem. Quare, sicut sufficit intentio confessionis sacramentalis, licet re ipsa ex aliqua causa sacramentalis non sit: sic sufficit intentio dicendi illa, tanquam partem saltem in obliquo, confessionis sacramentalis, ad explicandum peccatum, ad hoc, ut inducatur obligatio sigilli. Undè obiter infero non solum vera peccata; sed ea etiam, quæ peccata non sunt, & à penitente dicuntur, quia putabat esse peccata, manere sub sigillo propter eandem rationem.

§6.

An defectus
alij concomi-
tantes sub si-
gillo maneat.

Tertia difficultas est circa defectus alios penitentis, quos Confessarius ex ipso modo confitendi colligere potest. Circa quos aliqui videntur supponere: contineri sub sigillo, atque idè non posse sine eius violatione, Confessarium dicere, penitentem esse scrupulosum impertinentiis, & nanis tempus coaterere, & caput audientis rumpere, esse morosum, & his similia. Ita Coninch *ubi supra, num. 11.* Sed verius credo, non contineri. Ut Nauarrus *capite 8. numero 12.* dicit, non esse, contra sigillum, si dicat aliquis, talem penitentem obtundere caput Confessarii suis minutis. Ratio autem est: quia defectus alij manifestantur à penitente ad declarandam suam conscientiam, & peccata: & ibi continentur sub sigillo. Alij sunt hi ab ipso penitente, quos Confessarius non audit

audit ex relatione pœnitentis; sed ipse eos videt, & percipit: & hi, sicut non dicuntur secretò; sic non sunt sub sigillo. Nam, si pœnitens sit blâsus, si rudis, si hebetis ingenij, qui, & similes defectus in confessione percipiuntur; non manent illi sub sigillo. Similiter ergo, si ostendit se naturæ molestæ, irresolutæ, durioris ad credendum, qui omnes defectus ibi sunt, & per consequens non sunt materia confessionis illius, non erunt sub sigillo: sicut, si ibi committeret aliquod peccatum blasphemæ, contumeliæ in Confessarium, & similia: non erunt sub sigillo: quia illa peccata non confitentur, sed committit vidente Confessario: nisi peccatum verferetur circa ipsam confessionem: vt si peccatum, quod prius fecerat, neget; quæ negatio est peccatum nouum ibi commissum: sed manet sub sigillo; quia non potest illud detegere Confessarius, nisi dicendo confessionem fuisse diminuatam; quod iam esset reuelare ipsam confessionem, & eius defectum.

61.
An peccata publica.

Quarta difficultas est de peccatis publicis, de quibus aliqui dicunt, posse reuelari: vt, si de homicida publico, vel meretrice dicat: *Audiui eorum peccata homicidij, & luxuria cum magnis pœnitentiæ signis.* hoc enim magis laudat, quam infamat pœnitentem. Ita Ioan. Medina q. de his, quæ à Confessore celanda sunt, & alij. Sed contraria sententia est communis, quam docet Vasquez illo art. 4. dub. 6. Suarez sect. 3. n. 6. cum S. Thoma, Bonauentura, Gabriele, & alijs multis, quos affert: quia per accidens est, quod id resuletur hic, & nunc in laudem pœnitentis: attendi autem debet ad id, quod est per se, scilicet, ne possit vnquam loqui Confessarius de his, quæ audiuit; ne semel data exceptione, sæpe loquatur sine causa sufficienti.

62.
An aliunde nota.

Quintò dubitatur de peccatis, quæ iam aliundè Confessarius nouerat, vel postea cognosceret: de quibus aliqui, quorum meminit S. Thom. in 4. dist. 2. q. 3. art. 3. dicebant non posse loqui Confessarium ex scientia, quam prius habebat; posse tamen ex scientia de nouo post confessionem acquisita. Alij addebant, ex neutra scientia posse loqui. Omnes tamen ferè cum eodem S. Thoma concedunt posse vti sua scientia precedente, vel consequente confessionem, dummodò non addant certitudinem, vel circumstantiam propter scientiam confessionis. Videatur Vasquez alios referens dub. 7. & Suarez sect. 3. n. 7. qui cum Alensi aduertit, optimè facturum Confessarium, si tunc addat, vnde illud sciuerit, ad tollendam omnem suspicionem reuelationis.

63.
An liceat reuelare peccatum sine personæ.

Octauò dubitatur, an liceat referre peccatum, non nominando personam pœnitentis. Fatentur omnes, id licere, dummodò non sit periculum, vt in pœnitentis suspicionem veniri possit: ad quod maxima cautela necessaria est propter nasutum aliquotum ingenium ad colligendum auctorem ex aliquo facto narrato. Excipitur autem ab hac regula, quando ex paucis pœnitentibus, quos audisti, refert aliquod peccatum: iam enim singuli aliquid ex illa relatione suspicionis contra se patiuntur. Idem est, si referas peccatum alicuius Religiosi, nominando ipsum ordinem, ex quo iam redundat ignominia Ordinis, & consequenter ipsius pœnitentis, qui est pars illius.

64.
Peccata ciuitatum an reuelanda.

An verò idem sit de illo, qui dicit, in tali ciuitate esse talia crimina, sodomias, vsuras; probabiliter asserunt multi, Vasquez dub. 3. num. 3. cum Ledesma, quem ibi affert Suarez sect. 3. num. 8. Coninch. disp. 9. num. 16. Filliucius tom. 1. tract. 7. c. 21. q. 3. num. 322. Bonacina disp. 5. quest. 6. sect. 5. punct. 4. n. 3. qui alios afferunt. Et quidem, quando locus non est nimis amplus, & peccatum, seu vi-

tium non esset publicum, non videtur id fieri absque detrimento incolarum, qui patiuntur singula propter talem reuelationem. Aduertunt tamen multi, non incurri hac de causa pœnas reuelantis confessionem: quia non manifestantur peccata pœnitentis, sed ciuitatis, de quo videri possunt plures, quos affert Diana 1. tom. tract. 1. miscellanear, resol. 13.

Ex dictis inferitur primò, aliquando etiam posse esse contra sigillum, si Confessarius dicat: *Titius pœnitens hodie mihi confessus est.* Possunt enim esse tales circumstantiæ, vt eo ipso indicetur, eum habuisse aliquem casum reueruatam: vt, si id dicatur de Religioso, qui semper confitetur suo Confessario ordinario, nec potest alteri confiteri sine licentia Prælati; & aliundè confiteri non de iure ordinarium illa die. Peius autem esset, si id dixisset, postquam ipse Confessarius petierat à Prælatu facultatem absolendi vnum subditum à reueruatis; tunc enim ex vtriusque circumstantiæ coniunctione facile coniecitur Prælatum, Titium habuisse peccatum reueruatam. Vnde multò minùs Prælatum posset dicere: *Titius petiit à me facultatem totam pro suo Confessario*, per hoc enim magis declararetur, vel indicaretur necessitas pœnitentis.

Potes: Si Prælatum dedit mihi hodie facultatem ad absolvendum vnum subditum à reueruatis, propter hoc quo ego petij, non nominata persona; & dum ille confitetur, veniat Prælatum casu ad me, & inueniat illum confitentem, an obligetur sigillo ad tacendum, quod vidit; an verò possit eidem subditò dicere: *Ego te inueni confitentem Confessario extrordinario.* Idem quærit potest de alio tercio, qui inuenisset illum mihi confitentem, non teneatur illud habere sub sigillo. Videtur, quod teneatur: quia dicere illum tali hora mihi præter ordinem confiteri, videtur æquivalenter esse dicere, quod confitebatur peccata reueruata, vel certe vehementer suspicionem de hoc ingerit. Sicut ergo esset contra sigillum dicere, quod ille confitebatur reueruata, si aliquis casu audiuiisset: sic videtur esse, si dicas confessum mihi fuisse tali hora.

Ego quidem credo Prælatum imprudenter facturum, si de re illa loquatur ipsi subditò, vel vili alteri: item, tertium illum iniquè acturum, si manifestet, quod vidit illum confitentem: neutrum tamen credo esse violatorum sigilli sacramentalis: si enim ille Religiosus iret ad Penitentiarium Papæ in Basilica Sancti Petri, licet daret occasionem suspicandi de casu reueruato, non teneretur ad sigillum omnes, qui illum ibi vident confitentem. Ratio autem est: quia, qui illum videt, non accipiunt illam notitiam ex notitia, quam pœnitens dat Confessario; sed ex notitia, quam per ipsam actionem dat omnibus, qui eum vident: notitia autem, quæ alijs datur, non est confessio: ergo illa non affert obligationem sigilli, vt supra diximus de illo, qui vult adesse alios testes suæ confessionis, non obligari testes ad sigillum propter eandem rationem. Aliud verò est de ipso Confessario, cum dicit mihi pœnitens se velle mihi confiteri: illa enim est confessio inchoata, & notitia, quam incipit mihi dare, vt Confessario, in ordine ad absolutionem obligandam: quare ego teneor ad sigillum: illi autem est notitia ad alios, non teneor ad sigillum, sed solum ad secretum, ne infamet pœnitentem, dum illa actio est secreta, quæ actio, prout in ordine ad alios, non est confessio etiam inchoata, licet in ordine ad Confessarium sit talis, & idè eum obliget ad sigillum.

Inferitur secundò, quid dicendum sit, quando pœnitens

Quid de com-
plices male
manifestate.

pœnitens sine necessitate manifestavit complicem in confessione, an peccatum complices maneat etiam tunc sub sigillo. Negatiue enim respondet Ioann. de la Cruz in direct. conscientia, 2. part. 2. de Sacrament. pœnit. quæst. 6. dub. 2. conclus. 2. quia peccatum complices materialiter se habet tunc ad confessionem proprii peccati, ad quam non erat necesse illud declarare: unde infert, posse pro bono communi reuelari, sicut alia secreta naturalia, dummodo ea occasione non declaratur peccatum pœnitentis.

Contraria tamen sententia vera, & communis est quam tenent Suarez, Reginaldus, Malderus, Villalobos, & alij plures, quos refert, & sequitur Diana 2. tom. tract. 4. de Sacram. resol. 111. quia ut supra diximus, non solum, quæ necessaria sunt, sed ea omnia, quæ sunt vilia, vel quæ pœnitens etiam ob ignorantiam putat dicenda esse ad declarandum suum peccatum, inane sub eodem sigillo: alioquin onerosa, & difficilis redderetur confessio; iis præsertim, qui nesciunt discernere, quæ sint omnino necessaria, & quæ possint, vel debeant omitti in confessione proprii peccati.

69.
An dicat le-
uita mate-
ria.

Ultimò dubitari solet, an in hoc peccato violationis sigilli possit dari culpa venialis ex leuitate materiæ: nam ex defectu aduertentia non est dubium, quod possit sæpè contingere: vt, si narrat aliquam historiam, putans non agnosce personam, quæ tamen agnoscitur, & interuenit aliqua imprudentia Confessarij, sed leuis. Item, si Prælati seruiore correctionis aliquod verbum acius adiungit cum inaduertentia veniali ex notitia aliqua, quam habuerat ex confessione mediata, vel immediata. Item, si Confessarius laudans pœnitentem vtatur cum inaduertentia leui aliqua notitia, quam ex confessione peccati habebat. Et in alijs casibus similibus.

70.

Aliqui addunt casum, in quo ex leuitate materiæ fit culpa venialis: quando Sacerdos dicit peccatum veniale pœnitentis, nullo modo indicans, se id scire ex confessione: quia tunc nec fit iniuria grauis pœnitenti propter materiæ leuitatem; neque etiam Sacramento, cum nullo modo significetur, haberi ex confessione. Hæc tamen exceptio non est admittenda: quia reuera fit grauis iniuria Sacramento: quod à posteriori constat ex eo, quod si Sacerdos diceret, se illud scire ex confessione, omnes grauissimè horrerent, & confessio venialium fieret valde odiosa: non sit autem grauior confessio ex apprehensione, sed ex re ipsa; nempe, ex eo, quod Sacerdos possit aliquando illam reuelare. Vnde, si pœnitentes sciant, posse Sacerdotem id facere, licet non sciant, illud tunc de facto facere, sola possibilitas redderet odiosam confessionem: ergo oportuit hanc possibilitatem grauius prohibere ad tollendum illud grauissimum inconueniens. Nam, licet in aliquo casu particulari nullum inconueniens sequeretur de facto; ex ipsa tamen possibilitate, si illa constaret, grauissimum inconueniens sequeretur. Sicut ergo propter hanc rationem semper est illicita fornicatio, & pollutio voluntaria, licet in aliquo casu posset vtrique nullum afferre incommodum; sic propter eandem rationem dicendum est de reuelatione cuiuscumque peccati venialis.

71.

Facilius posset admitti leuitas materiæ, quando res, quæ narratur, est talis, vt sit periculum aliquod ingerendi suspicionem alicui; sed aded tenue periculum, vel aded remotam suspicionem, vt non sufficit ad imprudentiam grauem, nec ad grauem irreuerentiam contra Sacramentum. Negati enim non potest non consistere in indiuisibili obligationem non loquendi de auditis in Confessione. Quia aliquando de illis licet loquimur quando

nullum est periculum manifestationis: aliquando est clarum periculum, & est graue peccatum ita loqui: aliquando verò potest esse aded remotum periculum, vt licet melius esset tacere, & possit esse veniale loqui, non tamen sufficiat ad mortale.

Petes, an excusetur à peccato mortali Parochus, vel Confessarius audiens simul plures pueros doli capaces, vel de quibus dubitatur, an sint doli capaces. Nauarr. in Summa, c. 8. n. 13. & in dicto c. Sacerdos. n. 10. cuius doctrina mihi placet, respondet, esse graue sacrilegium. Primò, quia Sacramento vtuntur ad iocum, & risum. Secundò, quia exponit mortaliter pueros periculo reuelandi peccata sociorum. Terriò, quia est contra id, quod dicitur in c. Omnis vtriusque sexus. quod solus soli confiteatur. Quare ille abusus nullo modo est permittendus, sed grauissimè reprehendendus.

SECTIO IV.

Quomodo loqui debeat Confessarius ad vitandam reuelationem.

Errum est, debere hoc secretum seruari, ita vt nec verbis, nec etiam factis violetur, vt indicat textus in dicto c. Omnis vtriusque sexus, ibi, verbo, vel signo, vel alio modo. Debet item seruari, ita vt nec directè, nec indirectè indicetur peccatum pœnitentis: quia hæc omnia aequè redderent odiosam confessionem, & æquialenter sunt idem.

Duplex est potissima circa hoc difficultas. Prima, quomodo debeat respondere Confessarius, quando interrogatur de peccato pœnitentis; an possit dicere, se illud nescire, & quo sensu. Secunda est quid debeat dicere Sacerdos, quando non absoluit pœnitentem. Circa primam difficultatem Gabriel dist. 21. qu. 1. art. 3. dub. 1. casu 3. dixit, Confessarium interrogatum sub iuramento, & coactum ad respondendum, debere reuelare confessionem, ne sit periurus. Quam sententiam, vt erroneam, rejicit Valquez dicto art. 4. dub. 11. qui dub. 12. cum S. Thom. & omnibus alijs, quos affert, docet, posse, ac proinde debere Sacerdotem dicere, se nescire illud peccatum: & aduertit bene cum Richardo, non debere tacere; quia ipsum silentium in tali casu non leuem ingereret suspicionem. Ratio autem communis ad excusandum à mendacio in eo casu est: quia ipse debet respondere in sensu interrogationis: interrogatio autem est, aut debet esse an sciat tale peccatum ea scientia, quæ deseruire potest ad illud dicendum, de qua scientia interrogant homines, & de illa intelligi potest responsio. In quo sine causa distinguit Sotus adductus ab eodem Valquez ibi inter hæc verba, non scio; & non audiui; quasi facilius excusari possit primum, quam secundum. Sed idem dicendum est de vtroque, cum vtrumque possit ex intentione loquentis limitari ad scientiam, vel ad auditionem, de qua interrogatio fit, vel fieri debet.

Difficultas est, quando interrogans iniuste vtget, & determinat sensum interrogationis, petens, an etiam in confessione, & non vt homo; sed vt Minister Dei sciat, vel audierit tale peccatum. Palud. organ. & dist. 1. q. 3. art. 3. n. 37. & Soto dist. 18. q. 4. a. 5. determinat sensum interrogationis, non posse tunc negare: quia non restat sensus verus: debere tamen Sacerdotem non respondere, sed acriter reprehendere interrogantem. Hoc tamen alijs non placet; quia si maritus zelotypia ardens id à Confessario interroget, & hic nolit negare, eo ipso pro confesso reputabitur. Idem ceteri communiter dicunt, posse etiam tunc negare, cum quacumque

72.

An p. r. plures sint simul audiendi in Confessione.

73.

Quomodo respondere debeat Confessarius interrogatus de peccato pœnitentis.

74.

Quid si interrogans iniuste vtget, & determinat sensum interrogationis.

cumque reflexione, & reduplicatione interrogatio fiat; quos referunt, & sequuntur Suar. disp. 31. sect. 6. n. 7. & Valq. dictio dub. 12. n. 7. Quod tandem in casu necessitatis concessit idem Soto de regendo se-
cretis, membr. 3. q. 3. Et quidem, si vera esset sententia multorum, qui dicunt, excusari à mendacio eum qui profert verba in sensu, quem eadem verba facerent cum limitatione, & restrictione purè mentali, quam exterius non significant; non esset difficultas: quia semper posset Confessarius retinere illam limitationem in mente, non scio, non audini, & similia, ut possim dicere. Illam tamen sententiam alibi reieci: quia veritas propositionis vocalis consistit in conformitate eiusdem propositiōis secundum significationem externam, quam habet cum mente loquentis: illa autem propositio, si secundum se non est capax illius significationis; non erit vera ex eo quod cum aliis verbis, quae possent adiungi, posset habere aliam significationem: sicut imago Petri nō est similis Petro, eod quod simul cum alia parte, quae retenta est in mente pictoris, vel in primo exemplari, esset similis, & conformis Petro: si autem non est conformis, erit mendax, mendacium autem nullo unquam casu licitum est, etiam ad servandum sigillum confessionis, cum sit intrinsecè malum.

75. Ad veritatem ergo propositionis, & responsionis externae necesse est, quod voces capaces sint talis significationis, ut possit ex se eum sensum facere, licet non ad mentem interrogantis. Et quidem illae voces, non scio, non audini: & similes, si absolute proferantur certum videtur, quod possint ex se habere illum sensum, scilicet per scientiam, vel auditionem, quae utilis sit ad respondendum: sicut, qui habet unum panem sibi omnino necessarium, verè responderet, se nullum habere, ei, qui petit panem commodatum: quia nullum habet, quem commodare possit, de quo solo ille interrogat, & loquitur. Sic enim loquutus est Christus Dominus iuxta communem interpretationem Marc. 13. quando dixit: *De illo die nemo scit, neque Filius hominis*, hoc est, illa scientia, quae utilis esset ad respondendum Discipulis interrogantibus: quia, licet Christus, ut homo, id sciret; sed secretò tamen, quod manifestare non poterat.

76. Hinc tamen infero, etiam si interrogatio excludat talem restrictionem, posse respondere Confessarium cum illa. Pro quo aduerto, voces nostras (ut suppono ex Logica) significare conceptum, & rem magis tamen directè ipsum conceptum: quia locutio externa, qualis est vocalis, ordinatur directè ad communicandam mentem loquentis; atque ideò, qui loquitur, directè dicit: *Ego scio*. v. g. *Petrus esse in foro*, quare prius, & magis directè manifestat suam scientiam, seu mentem, & mediatè, ac indirectè obiectum dictum. Voces ergo ex primatia intentione impositae sunt ad exprimendum conceptum, & mentem loquentis: unde si verba illa, non scio, non audini, & similia, imposita sunt ad significandam scientiam talem, quae apta sit ad respondendum, non potest interrogans auferre ab illis vocibus hanc significationem, ac per consequens poterit respondens usurpare illas semper in hac significatione, quam habent.

77. Neque obstat, quod posset etiam Sacerdos absque mendacio dicere: *Ego scio, ego audini tale peccatum*, quo casu loquitur de illa alia scientia. Fateor enim, voces illas posse proferri in utraque significatione, sicut quamlibet vocem aequivocam. Ex hoc autem, quod aequivoca sit, & possit ex hominum institutione significare, vel omnem prorsus scientiam, vel illam solam, quae utilis est ad respondendum, consequitur, quod l iniquè rogatus possit semper retinere hanc secundam significationem absque

mendacio. Sicut, si aliquis interroget, an videris canem; tu poteris negare, intelligendo de cane marino. Si verò ille vergeat, an videris canem terrestrem; tu poteris semper dicere, non vidi canem, quia adhuc poteris retinere vocem aequivocam in significatione, cuius est capax. Sic ergo Confessarius, quamvis vergeat interrogans, an scierit, vel audierit etiam in confessione: poterit veraciter respondere, non scio, nec audini: quia sensus est: *Non scio scientia, quae sit utilis ad respondendum, me cognosco, vel audivisse etiam in confessione*, cuius significationis adhuc est capax illa propositio, cum sit imposita ad utrumque aequivocè significandum.

Dices: Si aliquis interroget: *Vidisti canem terrestrem*; non possum ego dicere, non vidi, intelligendo apud me de cane marino; quia interrogatio abstulit aequivocationem: ergo similiter, si interrogor, an sciam peccatum scientia confessionis, non possum dicere absque mendacio, non scio, intelligendo de alia scientia utili ad respondendum. Respondetur, negando consequentiam. Ratio sumitur ex dictis: quia voces semper, ut dixi, significant directè scientiam loquentis ultra totum obiectum, quod significant explicite. Quando ergo dico: *Petrus dixit mihi tale peccatum*, sensus est: *Scio, Petrus dixisse mihi tale peccatum*. Quando verò dico idem per has voces: *Scio, Petrus dixisse mihi tale peccatum*, sensus est reflexus: *Scio me scire, Petrus dixisse mihi tale peccatum*, ita ut semper subintelligatur significata directè alia scientia loquentis de toto obiecto significato explicite per voces. Hinc est quando interrogor, an sciam tale peccatum Petri: me verè responderet, non scio: quia hoc verbum significat etiam ex institutione hominum scientiam utilem ad respondendum, quae ego illud non scio. Si verò vergeas, an sciam scientiam confessionis, & inutili ad respondendum; respondeo etiam verè, non scio: quia sensus est: *Scio, me non scire peccatum scientia confessionis*, quae etiam est vera: quia illud primum, *Scio*, ex institutione hominum significat scientiam utilem ad respondendum, & tali scientia non scio, me scire tale peccatum, ex confessione, & quascunque reflexiones feceris, semper possum negare: quia semper ultra id totum, quod interrogas, voces meae addunt aliam scientiam de illo obiecto, circa quam tu non apponis restrictionem, & ego possum illam apponere: tu enim solum potes apponere restrictionem circa illud quod interrogas non circa illud aliud, quod loquens addit: nempe scientiam de illo, quod interrogas. Si autem interrogas de ipsa scientia, loquens addit scientiam re-dexam de scientia interrogata: quia hæc est significatio vocum humanarum, ut prius affirmant scientiam de toto obiecto ipsarum vocum.

Dices tamen iterum: Ponamus, quod interrogans præmoneat, & dicat: *Scio*, has voces habere illas duas significationes: & scio, quod tu posses cum veritate dicere: *Scio tale peccatum*, si verè illud scias ex confessione. In illo ergo sensu, in quo locutio illa esset vera, in eo casu, interrogo, an scias illud peccatum: iam tunc interrogans videtur excludere omnino illum alium sensum, quem voces ille possunt facere: ergo non poteris absque mendacio dicere, te non scire in illo sensu. Respondetur ex dictis etiam interroganti eo modo posse respondere Confessarium, *nescio*: quia hoc verbum tunc facit sensum reflexum, ut diximus, hoc est: *Scio, me non scire tale peccatum etiam in sensu, in quo tu vis à me responderi*. Nam illud primum *scio*, restat adhuc cum significatione sua: scilicet: *Scio scientia quae utilis est ad respondendum tibi, me non scire tale peccatum etiam in sensu à te intento*. Quae propositio vera est: quia illud

illud primum, *scit*, habet hanc significationem ex hominum institutione, & interrogans non illam exclusit ab hoc, *scio*, reflexo, quod semper additur toti obiecto interrogato, nec potuit illam significationem auferre, nisi ad id, quod interrogat, ad quod ego addo aliud, *scio*, reflexum.

80. Virgebis adhuc, hanc restitutionem habere locum, quando Confessarius respondet per verbum, *nescio*, ut sensus sit: *Non scio per talem scientiam velle*, &c. non tamen prodesse, quando responderet per verbum, *scio*, ut si dicat: *Scio, Petrum non esse confessum tale peccatum*. Ad hoc enim verificandum requiritur, quod habeat scientiam aliquam de negatione talis confessionis, quam scientiam nullam habet. Si aliquis ergo ita interrogaret: *Scis, Petrum non esse tibi confessum tale peccatum*? non videretur posse responderi sine reuelatione, aut mendacio; sicut ob eandem rationem, qui non absoluit penitentem, licet non possit dicere, se non absoluisse, non tamen potest absque mendacio dicere: *Ego absolui eum*, quia nullam habet scientiam de tali absolutione.

81. Respondetur tamen, adhuc ad illam interrogationem posse dici: *Scio non mihi confessum esse tale peccatum*. Imò, si vera sunt, quae paulò ante diximus, hoc ipsum dicit, qui respondet: *Non audiui tale peccatum*. Nam sensus illius semper est: *Scio me non auduisse tale peccatum*, cum omnis propositio vocalis significet immediatè scientiam loquentis de obiecto affirmato, aut negato. Sicut ergo est vera illa propositio: *Tale peccatum non audiui*, sic poterit vera esse illa alia: *Scio, non mihi confessum esse tale peccatum*, quæ solum differt in eo, quod sit magis explicata. Differentia autem inter has propositiones, & illam aliam: *Scio, me illum absoluisse*, seu (quod idem est) *Ego illum absolui*, hæc est, quod in his obiectum affirmatum est aliquid positivum, scilicet, absolutio, quæ cum non fuerit, nullam scientiam habeo de illa; at verò in prioribus propositionibus obiectum est negativum, scilicet, me non auduisse tale peccatum, ad quod sufficit, me non habere scientiam de illo; quod verum est; quia, loquendo de scientia vtili ad respondendum, nullam scientiam habeo de tali obiecto: unde sicut possum dicere: *Scio, me non recordari quod audierim tale peccatum*, possum etiam dicere: *Scio, me non auduisse illud*.

82. Sed contra hoc est: quia aliud est dicere: *Ego nescio, Petrum esse in foro*, aliud verò: *Ego scio, Petrum non esse in foro*. Ad primum sufficit, me non habere scientiam, seu habere scientiam de mea nescientia; ad secundum verò requiritur scientia de ipsa negatione obiecti, seu potius scire, me habere scientiam de negatione Petri in foro: ergo similiter aliud est dicere: *Nescio tale peccatum Petri*, seu *me auduisse illud*, aliud verò: *Scio, me non auduisse*, per hoc enim significo, me habere scientiam positivam de negatione confessionis, seu auditionis talis peccati, qualem scientiam nullam habeo. Respondetur, quidquid sit de aliis obiectis: in his tamen, quæ involunt actum meum, idem est dicere: *Scio, me non amasse*, v. g. aut, non studuisse, ac dicere: *Scio, me nullam habere scientiam de tali amore*, vel studio, quia non alio modo scio negationem studii, quam per negationem scientiæ, vel memoriæ de tali operatione, quæ remanere deberet in me. Cum ergo, loquendo de scientia vtili ad respondendum, ut sæpè diximus, sciam, me non habere talem scientiam de illa confessione, sicut possum dicere: *Nescio*, seu, *Scio me nescire talem confessionem*, sic potero dicere, *Scio, non fuisse talem confessionem*, quia hoc idem est, ac dicere: *Scio, me non habere*.
P. Ioann. de Lugo, de Penitent.

illam memoriam, aut scientiam de tali confessione. quod verum est, loquendo de scientia vtili.

Dubitari solet, an Sacerdos, etiam non interrogatus, possit usurpare eiusmodi loquutiones negativas, vel affirmativas, quas diximus, posse usurpare, quando interrogatur. Negat Durand. *dist. 21. q. 3.* quia si Sacerdos diceret, se illud peccatum auduisse, diceret verum; ergo, si dicit, se non auduisse, dicit falsum: quia sunt contradictoriæ. Hoc tamen argumentum probaret, quod neque etiam interrogatus posset: quia tunc etiam affirmativa esset vera. Respondetur ergo facile, esse contradictorias, si sumantur in eodem sensu, non tamen si sumantur in diverso, propterea sumi possunt, sicut omnes propositiones æquivoce, unde neque istæ sunt contradictoriæ: *Vidi canem. Non vidi canem*, loquendo in vna de terrestri, in altera de marino.

Pater Suarez *dist. a. sect. 6. n. 8.* putat veram sententiam Duranti, quando Sacerdos diceret, se nescire illud peccatum, etiam ex confessione; præsertim, quia loqui de confessione, dum de illa non interrogatur, semper generat scandalum; & est aliquod periculum reuelationis indirectæ vel suspicionis. Sed melius Pater Vasq. *dub. 12. n. 10.* cum Palud. & Soto dicit, non solum esse veras illas loquutiones, nemine interrogante, cum adhuc tunc possint retinere eundem sensum: sed etiam aliquando esse illicitas, & vitales, quando esset iusta occasio proximum ira defendendi, & liberandi ab omni suspitione.

Quomodo debeat loqui Confessarius de illo, quem non absoluit.

Hæc erat secunda difficultas supra proposita, de qua Caiet. *verbo, Confessio*, dicit, non reuelati indirectè confessionem, dicendo: *Non absolui illum*: quia possunt multæ esse causæ non absolendi: quod sequitur etiam Armilla Contrarium tamen commune, & verum est, quod cum Navarro, Soto, & aliis tenet Suar. *sect. 6. n. 1.* licet aliqui dicant, non incurri penas iuris per tale peccatum: quod mihi non placet: nam reuelatio indirecta, qualis hæc est, eisdem penis subiacer. Fa-teor tamen id, quod omnes communiter concedunt, posse sine peccato dici, *non absolui illum*: quia non habebat materiam absolutionis. Similiter posset dicere, se non absoluisse: quia penitens incepit confessionem generalem, quam nondum perfecit, & vult altera die perficere. Item, quia interruptus fuit, & vocatus ad alium, & quando redij, non inveni illum, vel propter aliam causam similem, quæ si non reddatur, negatio absolutionis apud omnes generat opinionem, vel suspensionem vehementem de casu reservato, vel de indispositione penitentis nolentis restituere, vel relinquere occasionem proximam.

Sed, quid, si dicat: *Non illum absolui, quia erat capitosus, & amicus sue sententiæ, cuius contrariam ego teneo*? Aliqui dicunt, non esse sacrilegium. Alij id admittunt, si addat, eum non habere peccatum mortale; sed propositum rei, quæ reuera est mortalis; licet ipse putet esse licitam. Sed nec cum ea limitatione placet, quia absolutio non negatur, nisi propter indispositionem penitentis: quare, si negata est; quia nolebat acquiescere sententiæ Confessarii, supponitur, quod debebat ei acquiescere, & per consequens non faciebat id, ad quod sub peccato tenebatur.

Commune dubium circa hoc esse solet de publico peccatore, quem Confessarius non absoluit, an debeat dicere, se eum absoluisse. Caiet. dicit, quod potest

83. An Confessarius etiam non interrogatus possit loqui negativè, vel affirmativè de confessione.

84.

85.

Quid de peccatore penitente.

V u

potest

potest Sacerdos dicere: *Ego audiui illum publicum concubinarium: sed non absolui: quia non egerat publicam pœnitentiam.* Hoc tamen aliis merito displicet: quia, si erat dispositus, non erat priuandus absolutione: Alij ergo melius dicunt, debere Sacerdotem interroganti dicere: *Ego functus sum meo munere*, non potest enim absque mendacio dicere se eum absoluisse, cum illa propositio non habeat verum sensum. Si autem pœnitens falsò se iactet esse absolutum, non potest Confessarius id negare; sed solum dicat se fecisse debitum suum. Si verò pœnitens dicat se non fuisse absolutum, quia non erat dispositus: aliqui concedunt posse tunc Confessarium id etiam dicere. Sed est omnino falsum: quia nec peccata ipsa publica audita in confessione possunt reuelari, ut *suprà* diximus. Imò nec placet, quod aliqui addunt, posse Confessarium dicere: *Ipse dicit, quod ego eum non absolui*, hoc enim ipsum videtur approbare veritatem negatæ absolutionis, nisi aliquo modo constet Confessarium illud non approbare.

26.

Quando verò publicum peccatorem absoluit, quia cum benè dispositum inuenit, potest dicere se eum audisse, & absoluisse: non tamen debet dicere, se eum absoluisse à tali peccato publico, quidquid alij dicant: sed ad summum poterit dicere: *Confessus est mihi sua peccata cum magno dolore, & contritione: & ego eum absolui, prout debebam.*

An debent dari schedula non absoluto.

Si pœnitens, cui negatur absolutio ob indispositionem, petat schedulam suæ confessionis: dicunt aliqui dandam esse: sed cum limitatione, quod non communiqueet. Hæc tamen esset reuelatio indirecta impedimenti. P. Coninch. *disput. 9. dub. 1. n. 14.* dicit, quando famuli Principis debent ferre testimonium suæ confessionis, Confessarium debere illud dare iis etiam, quos non absoluit, nec mentiri: quia verum est eos esse confessos. Cui fauet etiam Henricus, *lib. 6. c. 22. n. 4.* ubi dicit expedire, quod detur schedula, etiam tempore præcepti confessionis. Addit tamen posse negari: quia non tenetur Confessarius cooperari occultationi peccati. Vnde Bonacin. *disp. 5. q. 6. sect. 5. punct. 4. n. 7.* dicit, non dandam, ne via fraudibus aperiat: multi enim improbi deciperent Parochos allato testimonio confessionis in Paschate.

87.

An sit contra sigillum schedulam negari.

Ego existimo, non esse contra sigillum schedulam negare: Confessarius enim nihil dicit, sed solum non approbat testimonio positum illam confessionem, ad quod non tenetur: quid enim, si vltus esset in schedula dicere? *Audiui, & Absolui*, &c. quod quidem absque mendacio dicere non posset de eo, quem non absoluit. Item, numquid publica meretrici perseveranti in suo statu deberet dare schedulam confessionis? Sibi ergo imputet pœnitens, si Confessarius non vult positivè eum defendere, nec etiam condemnare. Addo tamen non esse mendacium, si det schedulam: quia in ea solum testatur confessum esse. Aliquando tamen poterit habere malitiam scandali, ut si detur peccatori publico, qui non est emendatus, vel etiam occulto, qui eo modo palliat suam iniquitatem, & satisfaciunt Parochis, ac dominis, eos decipiendo sub specie virtutis. In his, & similibus non deberet Confessarius cooperari, posset tamen alicui, cui per accidens debet differri absolutio ad brene tempus, & sperat reditum, dare illud testimonium, ne interim incurrat iram domini, vel Principis. Idem dicerem de illo, cui ex iusta causa imponitur Confessatio in Paschate, ut præparet se per aliquot dies ad confessionem generalem faciendam: cui etiam posset dare interim schedulam, quando speratur reditus, & profectus.

Quando peccatori publico non disposito negatur absolutio, si ipse postea petat Eucharistiam, neganda est. Quod si dicat: *Confessus tibi sum, & tu me absolvisi*, respondere potest Confessarius: *Ego in occulto, & secreto Confessionis facio in iuxta eam, qua iuxta, inuenio te publicum peccatorem, & non debeo sine satisfactione publica dare tibi Sacramenta*, vel dicat: *De confessione tua nihil scio: sed scio te esse publicum peccatorem, & ideo te repello à Communionem.* Quid autem dicendum sit de peccatore occulto in occulto petenti Eucharistiam, dicemus *scilicet*, *seq.*

Petes primò, an sit etiam contra sigillum dicere pœnitentiam, quam imposuit pœnitenti. Respondetur affirmativè, si pœnitentia excedat illam, quæ imponi solet in confessione ordinata de leuioribus. Quando verò illam non excederet, v. g. semel orationem Dominicam, & Angelicam, vel unum Psalmum mediocrem, aut quid simile, Henricus, *loco suprà cit. c. 21. n. 1.* cum Navarro, quem affert in *Glossa, littera F.* dicit non esse contra sigillum, quod alij Recentiores confirmant: & videtur probabile: quia, sicut non est contra sigillum dicere, quod confessus est venialia; sic neque erit dicere, quod accipit pœnitentiam solitam imponi pro venialibus. Hoc tamen limitatem, nisi pœnitentia illa levis indicet qualitatem peccati: ut, si pœnitentia fuit oratio levis pro socio suo: quia eum leui verbo pupugerat; posset enim notitia pœnitentiæ dare suspicionem peccati levis contra socium commissi.

Petes secundò, an sit contra sigillum dicere de aliquo, qui frequenter confitetur, quod confessus sit peccata venialia noua. Distingendum poterit, si venialia, si breue sit tempus ab vltima confessione, id credo illicitum: quia breui illo tempore potuit non committere aliqua, saltem clara, & certa. Si verò tempus longius intercessit, non videtur esse contra sigillum, cum certum sit, eo tempore aliqua committi, quæ diligens pœnitens primo loco confitetur, & in eorum defectum confitetur antiqua.

Petes tertio, an sit contra sigillum de puero, de quo dubitatur communiter, an habeat vltimam rationem, dicere, quod sibi confessus est peccata venialia. Aliqui affirmant: quia de illo non est certum apud alios, quod habeat peccata venialia, cum non sit certum, quod sit doli capax. Hoc tamen videtur nimis scrupulosè dictum: alioquin neque de illo, de quo dubitatur, an sit amens, vel sanæ mentis, poterit audita confessione dicere, esse sanæ mentis, quod est incredibile. Imò ex confessione iudicat Confessarius, an sit puer capax extremæ Viaticionis, an Viatici, an sepeliendus sit ut adultus, & an pro eo offerenda suffragia. Ratio autem est: quia puer non narrat, nec dicit secreto vltimam rationem suæ Confessario: sed factis, & modo loquendi, ac discurrendi illum ostendit: quare, sicut diximus *suprà*, defectus ipsos, qui in confessione non dicuntur, sed sunt, non esse materiam sigilli, à fortiori dicendum hoc est de ingenio, de capacitate, & iudicio, quæ in ipso confitendi, ac loquendi modo manifestantur. Supposito autem, quod ille sit doli capax, non est contra sigillum dicere, quod confessus sit peccata venialia. Aliud dicerem, quando aliquis, qui vel ob mortificationem, vel ob interesse temporale se fatuum, & amentem fingit, hoc ipsum in confessione manifestaret, ut sua peccata confiteri posset: tunc enim crederem, sub sigillo contineri illud secretum sapientiæ, & status sui, quod manifestavit Confessario, narrando illud ad declaranda peccata, & committendo illud sub eodem sigillo.

SECTIO

SECTIO V.

*Quomodo possit Confessarius vti scientia
habita ex confessione.*

93. **H**æc est questio grauissima, & plures com-
plectens difficultates. Prima esse solet circa
Prelatos, & Superiores, & quomodo vti pos-
sint uotitia ex confessione habita in ordine ad sub-
ditorum gubernationem, de qua primo loco agen-
dum est.

*§. 1. An, & quomodo Prelatus, vel Superior
possit vti scientia habita ex confessione
ad gubernationem subditorum.*

DE hoc, ultra alios, latè, & eruditè tractat
Thomas Sanchez lib. 3. de *matrim. disput. 16.*
pœnitentiam, ubi affert duas sententias. Primam com-
munem affirmantem, posse vti ea scientia, dum-
modo ex vfu nulla possit oriri reuelatio, aut ma-
nifestatio directa, vel indirecta peccati pœniten-
tis. Secundam non ita communem, negantem,
id fieri posse; quam ipse veriorem existimat. Sed
singulæ ex his diuidi possunt in alias plures, pro-
pter varias limitationes, vel ampliaciones, aut di-
stinctiones, quas varij Auctores apponunt. Nam
aliqui in primis dixerunt, propter correctionem
pœnitentis licere reuelare crimen alteri, à quo
corrigi possit, vt parenti, v. g. Ita Antisiodorensis
apud Valquez in *presenti, quest. 93. art. 4. dub. 8.*
num. 1. Alij dixerunt licere saltem ipsi Confessario
eum corrigere, amouendo eum, v. g. ab officio
propter peccatum, quod ex confessione nouerat;
licet ex hac amotione ab officio alij suspicentur
eius crimen. Ita Gabriel apud eundem Valq. n. 2.
Vtramque autem sententiam ipse erroneam exi-
stimat, & merito: quia vtraque esset reuelatio di-
recta, vel indirecta confessionis, quæ nullo vnquam
casu licita est, vt constat ex *suprà* dictis. Alij di-
cunt id esse licitum in ordine ad priuandam pœ-
nitentem gratuitis: vt, si Confessarius, propter
illam notitiam, non det illi beneficium, v. g. quod
decreuerat conferre, vel dissuadeat testatori vo-
lenti illum heredem relinquere; ita tamen vt nul-
lum sit periculum reuelationis, sed alij pretextus
querantur. Alij dicunt posse Superiorem remoue-
re pœnitentem ab officio, si potest eum pro libi-
to amouere; quia tunc vitur iure suo: secus, si
non potest pro libito amouere: tunc enim subdi-
tus habet ius, ne amouetur sine causa, quæ pro-
bati possit. Alij rursus dicunt posse vti ea scientia,
dum aliis non detur occasio vlla suspicandi pecca-
tum; etiam si ipse pœnitens suspicari possit id fieri
propter peccatum, quod confessus est. Ita cum
alijs Valquez *ubi supra*, numero 6. Alij verò di-
cunt, etiam non licere, quando in ipso pœnitente
suspicio talis generatur. Denique aliqui dicunt, li-
cèt Sacerdos possit vti illa notitia ad non dandum
suffragium indigno, vel ad negandum illi Ordinem,
quem petit, quando id fieri potest absque re-
uelatione; non tamen teneri Confessarium ad id
faciendum. Ita Thomas Sanchez cum alijs *dicta*
disput. 16. n. 1. Alij tamen plures, quos affert n. 6. dicunt
& magis consequenter, si potest, teneri ne coopere-
tur electioni indigni, aut det Sacramentum indigno.
Secundam etiam scientiam non omnes eodem
modo intelligunt: aliqui enim loquuntur vniuer-
saliter, ita vt in nulla prorsus re vti possit, Confes-
sarius tali notitia; sed perinde se habere ac si eam
non haberet. Alij dicunt locum habere solum in
P. Ioann. de Lugo de *Pœnitentia*.

ius, in quibus esset confusio, & pudor pœnitenti:
quia eius honori, aut personæ in aliquo præiudi-
catur. Ita Sanchez *ubi supra*, n. 4. Vnde in corolla-
riis ad casus particulares non omnes eodem modo
loquuntur, vt postea vidimus.

Ego secundam sententiam libentissimè ample-
ctor, ad quam etiam amplectendam impellit no-
stræ Societatis propensio in eam partem, quam suo
Decreto stabilivit anno 1590. R. P. Claudius
Aquaniua, Societatis Generalis, quo seuerè prohi-
buit, ne vllus vnquam contrariam doctrinam pu-
blicè, aut priuatim doceat, cæue vtatur. Et quidem
post decretum Clementis Papæ VIII. quod anno
1594. die 26. Maij edidit, nescio, quo pacto prior
sententia sustineri possit. Pontifex enim Prælati
omnibus Regularibus vsum notitiæ confessionis
prohibet, his verbis: *Tam Superiores pro tempore*
existentes, quam Confessarii, qui postea ad Superio-
ritatis gradum fuerint promoti, caueant diligentissi-
mè, ne ea notitia, quam de aliorum peccatis in con-
fessione habuerunt, ad exteriorem gubernationem
vtantur, &c. Atque ita per quoscunque Regularium
Superiores, quicunque illi sint obseruari mandamus.
Quæ verba, licet minùs stricta sint, quàm verba
Decreti nostræ Societatis *suprà* adductæ (nam Pon-
tifex solum loquitur de Superioribus, & de vfu
notitiæ ad exteriorem gubernationem; nostrum
verò Decretum loquitur de omnibus Confessariis,
etiam si Prælati non sint, & in ordine ad quolibet
pœnitentes, etiam ad sæculares: adhuc ex Decreto
illo pontificio videtur necessariò colligi veritas do-
ctrinæ vniuersalis.

In quo videtur mihi minùs consequenter loqui
P. Suarez *disput. 33. sect. 7. num. 4.* qui primam sen-
tentiam dicit, ex naturæ rei, seu sola ratione specta-
tam, improbari non posse: id tamen quod per se
malum non est, obpericulum mali posse prohiberi.
Atque ita videtur ille vsum Regularibus om-
nibus fuisse à Pontifice prohibitus verbis *suprà*
adductis, quæ cum vniuersalia sint, non debent à
nobis limitari, sed simpliciter obseruari. Hoc ta-
men mihi difficile est: nam, si vus talis notitiæ li-
citus esset, non video, quomodo posset à Ponti-
fice in vniuersum Prælati Regularibus prohiberi.
Nam in aliquibus casibus, si licitus esset, esset
etiam necessarius ex præcepto naturali, v. g. ne eli-
gatur scienter indignus ad Prælaturam, cum talis
electio sit intrinsecè mala, & afferat grauissimum
nocumentum, quod Prælati debet impedire, si
possit. item, si sciret ex confessionis notitia, ali-
quem non esse Sacerdotem; deberet non designare
illum in Confessarium suorum subditorum, ne
illi irritas faciant omnes confessiones cum tan-
to ipsorum detrimento, & irreuerentia Sacra-
menti. Et tamen etiam in hoc casu prohibet Pon-
tifex vsum talis notitiæ ad gubernationem. Sup-
ponit ergo, antecedenter fuisse illicitum talem
vsum: alioquin non posset contra naturale præ-
ceptum charitatis, & religionis præceptum me-
re Ecclesiasticum obligare. Simili namque argu-
mento probati solet, confessionem, & absolu-
tionem per litteras, & in absentia esse irritam,
& invalidam: quia alioquin non potuisset idem
Pontifex prohibere, ne vllò vnquam casu con-
traria doctrina ad praxim reduceretur: nam, si
valida esset, lex naturalis obligaret, ad absolu-
endum in casu extremæ necessitatis moribundum
absentem, cui præcepto charitatis non posset vlla
lex humana derogare. Sic ergo in casu nostro
præceptum pontificium ad eò vniuersale probat,
ex natura rei fuisse, vel ex Christi prohibitione
illicitum vsum talis scientiæ ad gubernationem.

V u 2 loquin

alioquin pro aliquibus casibus non potuisset lex humana illum vsum prohibere.

95.

Ratio autem ex supradictis duplex colligi potest. Prima, quia non solum non licet revelatio directa, sed etiam indirecta, ut omnes fatentur: unde etiam fatentur ferè omnes non posse Prælatus ex noticia confessionis aliquid agere, ex quo alij veniant in aliquam cognitionem illius peccati, etiam in genere; nempe, quod ille subditus aliquid fecerit, ratione cuius Prælatus remouet illum à tali officio: quod quidem ipsemet Vasquez dubitalo 8. num. 4. fatetur procedere, quando aliquis alius iam haberet notitiam delicti: sed videns postea, subditum remoueri à tali officio; suspicatur, remoueri propter tale peccatum: quia, nimirum, sicut non potest Confessarius loqui de auditis in confessione, quæ aliunde non scit, etiam si sint publica; & sciantur ab iis, quibus id dicit; sic Prælatus non potest manifestare etiam indirectè notitiam talis peccati, quod solum ex confessione nouit, propterea reuerà manifestaret tunc illi, qui iam aliunde tale peccatum nouerat, & ex remotione ab officio suspicatur iam illud peccatum in notitiam Prælati venisse. Quo supposito, arguitur ad casum nostrum: quia, neque etiam cum ipso pœnitente potest Prælatus de illo peccato loqui, ut aduersarij fatentur: ergo, neque etiam indirectè poterit illud exprobrare pœnitenti: exprobraret autem indirectè, si aliquid ingratum faceret, quod pœnitens intelligit fieri propter peccatum à se in confessione dictum; sicut manifestat indirectè alijs quibus dat similem rationem suspicandi: ergo non potest ex tali notitia remouere subditum ab officio, vel negare etiam gratuita, & indebita; saltem quando pœnitens potest intelligere, id fieri propter peccatum suum, quod Prælato confessus est. In quo non video, quam consequenter loquatur Pater Vasquez, qui, ut vidimus, fatetur esse contra sigillum, si alicui tertio scienti iam illud peccatum datur talis occasio suspicandi. Et postea num. 6. dicit, non referre, quod idem pœnitenti talis suspicionis occasio detur. Non enim apparet, cur loquutio indirecta cum alijs, iam peccatum scientibus, illicita sit: & loquutio indirecta cum eodem pœnitente non sit illicita, cum in neutro casu manifestetur peccatum ignorantibus illud; & in utroque solum significetur indirectè notitia Confessarij, de tali peccato. Adde, licet ille tertius sciret aliunde, non solum peccatum, sed quod Prælatus illud in confessione audierat, puta ex narratione ipsius pœnitentis, adhuc Prælatus non posset facere aliquid, ex quo ille tertius suspicaretur, fieri propter tale peccatum: ergo non posset, quando similis suspicionis occasio daretur ipsi pœnitenti, cum eadem sit ratio.

97.

Secunda, & magis vniuersalis ratio à priori sumitur etiam, ex supradictis: illud enim obligatione sigilli prohibetur, quod confessionem redderet grauem & odiosam fidelibus. Certum est autem, quod non minus, sed magis grauis redderetur confessio, si Confessarius ex illa notitia posset pœnitentem ledere in honore, fortune, muneribus, officijs, & alijs, ad quæ homines maximè afficiuntur, quàm si cum pœnitente posset de iis loqui: ergo, sicut propter reuerentiam, & libertatem Sacramenti prohibetur loqui cum ipso pœnitente, ne difficilis reddatur confessio, multò magis debet propter eandem rationem prohiberi, ne possit occasione confessionis pœnitens in alijs rebus ladi, cum hæc læsio magis difficilem redderet confessionem, ut aperte constat.

98.

Vnde obiter aduerte, ad hoc non requiri quòd

pœnitens sciat, id fieri occasione confessionis; nam reuerà si fiat ea occasione, licet id pœnitens ignoret, redderet confessionem maximè difficilem: si enim antea pœnitens sciret, posse Confessarium uti illa notitia occultè contra pœnitentem, retardaretur non minus, sed potius magis à confessione peccati, quàm si sciat, posse illum tale aliquid facere, aduertente ipso pœnitente: magis enim lædunt illa, quorum causam ignoramus, quàm illa, quorum causam scimus, quibus facilius possumus adhibere remedium per causam contrariam. Cum ergo ratio obligationis non minus sed magis procedat in eo casu; non debet negari eadem obligatio.

Obijciunt pro prima sententia primò: quia Confessarius per confessionem non amittit ius, quod habebat prius: quare, si aliunde sciebat peccatum, non aufert confessio ius loquendi de illo: sed antea habebat ius eligendi, vel non eligendi, retinendi, vel amouendi subditum pro suo arbitrio: ergo retinet idem ius; alioquin indignus vteretur ex industria hoc medio continendi suo Prælato, ne posset ab illo remoueri. Hoc argumentum procedit ex clauæ æquiuocatione: nam confessio non tollit ius vltimum prius: sed tamen prius licet Prælatus haberet ius remouendi subditum; non habebat ius remouendi propter crimen in sola confessione cognitum. Unde parum prodesse potest indignis hoc medium; cum semper possit Prælatus eos remouere propter causam aliunde cognitam, vel etiam pro suo arbitrio, dummodo non moueatur à notitia in confessione accepta.

Secundò arguunt: quia Sacerdos solum obligatur ad tegendam confessionem, per talem autem vsum non manifestatur confessio, supponitur enim nullo modo reuelari. Respondetur ex dictis non solum obligari Confessarium ad non reuelandum, & manifestandum peccatum pœnitentis; sed etiam ad vitandum id omne, extra confessionem, quod redderet ipsam odiosam, & difficilem pœnitentibus: quare, licet in prædicto casu non esset propriè reuelator confessionis, peccaret tamen contra sigillum, quod obligat ad continendam taliter notitiam illam, ut neque ad opera possit practicè deferuire contra ipsum pœnitentem. Sicut peccat etiam contra sigillum, qui cum pœnitente loquitur, licet nihil prorsus reuelet.

Tertio difficilius argui potest: quia Confessarius non accipit notitiam illam taliter, ut in omnibus debeat se habere, ac si talem notitiam prorsus non haberet; nec potest ea prohibitio cum hac vniuersalitate, & rigore intelligi: certum enim est, quod ex confessione potest Confessarius magis cautus, & prudens fieri ad vitanda similia pericula, in quibus pœnitens ruinam spiritualem passus est; imò & temporalem etiam, ut ad vitandum ludum, ne perdat pecunias vel talem cibum, & potum, ne sanitati noceat; vel commercium, aut familiaritatem cum talibus personis, à quibus pœnitens aliquid damnum, vel iniuriam passus est. Quod experientia quotidiana constat: discunt enim Confessarij mores ciuium ex confessione, ut sciant, quomodo cum eis debeant conuersari; & quæ ab eis pericula cauere debeant. Non est ergo contra sigillum uti tali notitia ad operandum: ergo nec vltus illius ad gubernandum, cum ipsa gubernatio sit vna ex humanis actionibus, ad quas deferuit prudentia, quæ ex confessionibus generati, & augeri solet. Sic enim Prælatus, si ex confessione sciat detractiones, & querelas subditorum contra illum propter nimium rigorem, vel parcitatem; poterit discere, non expedire modum illum, sed indigere

moderatione

moderatione, vel mutatione: non ergo est illicitus omnis vsus illius notitiæ ad gubernationem externam, neq; contra sigillū, & reuerentiam Sacramenti.

102.

Respondetur, nos non dixisse, omnem vsum illius notitiæ esse illicitum, neque etiam in ordine ad gubernationem vtrumque; sed illum, ex quo confessio difficilis, & odiosa reddi potest, vt dixit Armilla *verb. confessor. n. 7.* Pro quo aduerte, vsum illius scientiæ posse esse, vel cum reuelatione directa, aut indirecta peccati: & tunc non est dubium, quod sit contra sigillum; vel posse esse absque reuelatione: sed tamen ita vt penitens aduertat id fieri propter peccatum, quod confessus est: vel denique ita, vt neque ipse penitens hoc aduertat. Si fiat hoc vltimo modo, & non in præiudicium vltimæ penitentiæ, sed ita, vt etiam si penitens sciat, licitum esse talem vsum, non idē retardetur à confessione; tunc non videtur esse vllō modo contra sigillum, aut contra Sacramentum: si verò esset ille vsus grauis penitenti, atque idē difficilis confiteretur, si sciret illum vsum esse licitum; tunc vsus erit illicitus. Si denique vsus sit talis, vt penitens intelligat, id fieri propter suum peccatum: distinguendum similiter credo: nam vel inde confessio redditur difficilior, & talis vsus ingratius accidit penitenti, & tunc erit omnino illicitus: si verò non est ingratius penitenti, neque ex eo redditur difficilior confessio, non credo esse contra sigillum: cuius sigilli præcipua ratio est, vt sapē diximus, ne confessio difficilior, aut grauior reddatur. Certum autem videtur non reddi difficiliorē ex quocunque effectu, qui ex tali notitia sequatur, v. g. si Confessarius, propter confidentiam, quam penitens erga ipsum ostendit, confitendo ei peccata grauissima & cum magnis penitentiae signis, peculiari cū affectu prosequatur, idque beneficiis, & speciali circa ipsum cura manifestet: licet penitens intelligat, totum illud oriri ex confessionis notitia: non idē agere feret, nec confessio propterea grauior, aut difficilior reddetur. Non ergo est contra sigillum quicunque effectus ex tali notitia oritur, etiam si penitens aduertere possit, quod oriatur in confessione.

103.

Non omnis loquutio indirecta de peccatis est contra sigillum.

Dices: Omnis talis effectus videtur continere loquutionem indirectam de peccatis cum ipso penitente: siquidem Confessarius illo effectu significat se audisse talem confessionem, quod est loqui indirecte de illa cum penitente: sed loquutio indirecta est contra sigillum: ergo & talis vsus notitiæ, ex quo penitens intelligat id fieri propter confessionis notitiam. Respondetur, omnem quidem reuelationem, etiam indirectam, peccati, vel confessionis, esse contra sigillum: quia omnis eiusmodi reuelatio, etiam considerata, vt licetē possibilis, reddit onerosam, & difficilem confessionem: non tamen omnem loquutionem indirectam, quæ non sit reuelatio, esse contra sigillum: sed illam, cuius licentia redderet difficilem, & grauem confessionem. Reddit autem eam grauem & difficilem omnis exprobratio peccati, etiam indirecta: item omnis vsus in damnum penitentiæ, aut ei ingratius: non tamen reddit difficilem confessionem, quod Confessarius possit ex tali notitia penitentem diligere, & peculiaribus benevolentiae signis prosequi. Cum ergo per hunc vsum nec confessio reueletur: cum nemini eius notitia detur, nec ipsa difficilior reddatur, non erit contra sigillum. In his ergo, per quæ confessio non reuelatur, regula tota ad cognoscendum, an sint, vel non sint contra sigillum, debet esse difficultas confessionis, quæ proueniret ex eo, quod talis vsus, vel tale genus actionum licitum esset absque penitenti facultate, vt dictum est.

P. Ioann. de Lugo, de Penitentia.

Hinc infero primò, non solum esse contra sigillum, si clarè Confessarius exprobrat peccatum penitenti, sed etiam, si seueriorem vultum ea de causa illi ostendat, aut minus grātē ei colloquatur. Ita Graffius, quem affert, & sequitur Bonac. *disp. 5. q. 5. seuerior eius vultus.* punct. 4. n. 26.

Infero secundò, illum, qui eligit per suffragiam eum, quem per solam confessionem scit indignum, sed extra confessionem non potest non iudicare illum dignum; non incurrere penam impositam eligentibus scienter indignum in c. Cum in cunctis, §. in iure statutam. finali, & in c. Cum Vintoniensis Ecclesia, de electione, & electi potestate, quod est contra Nauarrum in c. Sacerdos, n. 148. sed id, quod diximus, tradunt Palud. *dist. 21. q. 3. Soto de seculo, membr. 3. q. 4. dub. 1. Ledesm. 2. 4. q. 10. art. 5. dub. 4.* & alij: quia scientia ex confessione perinde se habet, ac si non esset in ordine ad omnem vsum, qui confessionem difficiliorē redderet.

Infero tertio, quid dicendum sit ad illum casum, quando ille, cui confiteri soleo, confiteretur mihi, se non esse Sacerdotem, & tamen audiret confessiones: an possem ego postea illum relinquere, an deberem illi, vt antea, confiteri. Thom. Sanchez *dicta disp. 16. num. 5.* indicat posse me illi non confiteri: quia ex illo notitiæ vltimo modo redditur confessio odiosa. Sed, quid, si verè redderet aliquod penitenti dedecus, quod ego præter solitum illi non confiterer? Casus certe metaphysicus est, quod ille mihi fateatur se non esse Sacerdotem, & tamen velit meam postea confessionem ferè audire. Sed, dato illo casu non morali, consequenter fatendum esset non posse me vti tali notitia, si ex eo vltus resuleret aliqua saltem indirecta reuelatio, vel etiam aliquod dedecus, vel incommodum mei penitenti: deberem ergo alteri ferè confiteri: illi autem solum exterius, vel certè cum intentione solum conditionata obtinendi absolutionem, si Sacerdos esset, quo pacto sigilli integritati, & meæ etiam vilitati, consulerem: suppono enim meam confessionem alteri factam nulli daturam suspicandi occasionem, sed saluo sigillo posse fieri.

Infero quartò, non solum debere Confessarium non dare aliis occasionem indirectam iudicandi, sed nec suspicandi de penitente. Imò Tabiena *verbo, Confessor, §. 1. & 4.* cum aliis dicit, vitandam omnino esse omnem suspensionem. Alij tamen id moderantur, vt intelligatur de suspitione probabilis, non verò de coniecturis, etiam leuibus, quas malitiosi, & nasci facile faciunt. Ita notat Palacius *dist. 21. q. 2.* cum S. Thom. *quodlib. 5. q. 13.* Soto *dist. 12. q. 2.* Idem docet Ioan. Medina *Cod. de Confess. fol. 109.* & alij, quod videtur etiam in praxi obseruari: esset enim ferè impossibile, omnem suspicandi occasionem indirectam omnibus auferre. Facilius autem exculantur occasiones negatiuæ, quàm positiuæ: v. g. si vni penitenti propter eius puritatem, & candorem internum Confessarius maiorem benevolentiam ostendat, quàm aliis: tunc enim verè non omittit benevolentiae signa aliis exhibenda propter notitiam confessionis, sed solum non mouetur à confessione ad exhibenda alia signa magis specialia propter specialia merita, quæ in confessione cognoscat. Aduertere etiam oportet, in aliqua materia, propter eius qualitatem, & grauitatem, non reputari leuem suspensionem, quæ aliàs fortasse levis esset: v. g. quæcunque occasio daretur marito, etiam levis, suspicandi adulterium vxoris suæ, esset grauissimè contra sigillum: quia nimis difficilis redderetur confessio ex tali periculo.

105.

Confessarius an possit relinquere penitentem, cui confessus est, se non esse Sacerdotem.

106.

Confessarius non debet dare occasionem indirectam, non solum iudicandi, sed nec suspicandi de penitente.

107.
Notitia con-
fessionis quam
sit inuitis ad
vltus fori iu-
dicialis.

Infero quintò, notitiam confessionis, adeò esse inuitem ad vltus fori iudicialis, vt si casu, vel industria ex tali notitia processus aliquis ortum habuerit, omnia eius acta irrita, & inualida sint: & licet à principio Iudex bona fide processerit; vbi tamen primùm aduertit, denunciatores, v. g. illud ex sola confessione cognouisse, deberet protinus cessare. Videatur Couarr. in 4. part. 2. c. 8. §. 12. n. 10. & Soto in 4. dist. 18. q. 4. art. 5. in fine, qui refert, quemdam punitum fuisse: quia ex tali notitia ad inquisitionem processit.

§. 2. *Quomodo possit confessarius vti confessionis notitia ad vitandum imminens periculum.*

108.

Vlterius casus est quando ex confessione sciret Sacerdos, insidias sibi parari, vt occideretur nocte sequenti, vel venenum esse in vino, quo debet celebrare, an possit fugere, vel omittere Missam propter illam notitiam. Non est dubium, quando illa actio, vel omissio non ostenderet aliis notitiam peccati, nec vllum damnum pœnitenti afferret, quod confessionem redderet odiosam, aut grauem: tunc enim posset vtique fugere alio prætextu, vel Sacramentum omittere.

Ad periculum
vitæ fugiendū
non potest Sa-
cerdos confes-
sionem reue-
lare.

Aliqui primò dicunt, ad illud vitæ periculum fugiendum posse Sacerdotem reuelare confessionem. Ita Gabriel dist. 21. q. 1. artic. 3. casu 4. Quam sententiam falsam, & erroneam dicit Vasquez dicto art. 4. dub. 9. n. 1. & rejiciunt Theologi communiter, quos ibidem affert: est enim contra Ecclesiasticam doctrinam, quam tradit Pontifex in c. Sacerdos de pœnitentia, dist. 6. vbi expressè dicitur, non esse reuelandum peccatum in confessione auditum vlli personæ, etiam pro aliquo scandalo vitando. Ratio autem sumitur ex supra dictis non quidem, quia hoc præceptum sit negatiuum, & idè obliget pro semper, vt dixit, Soto; quam rationem optimè impugnatur Vasquez n. 3. & segg. sed quia, vt supra diximus, sunt aliqua præcepta, quæ propter maximum detrimentum publicum obligant absque vlla exceptione, quale est præceptum prohibens fornicationem, aut pollutionem voluntariam; quare, sicut cum euidenti vitæ periculo tenetur quis vitare fornicationem, aut voluntariam pollutionem; sic tenetur non reuelare confessionem; cum eodem periculo propter maximum damnum, quod sequeretur, si semel, aut in aliquo casu Confessarius haberet licentiam reuelandi confessionem, vt supra explicuimus.

109.

An confessa-
rius possit ali-
quid facere,
ex quo conij-
ciatur, ipsum
audisse tale
peccatum.

Difficultas est, an quamuis non liceat reuelare directè; liceat tamen fugere, vel aliquid facere, ex quo alij conijciant, Confessarium audisse tale peccatum. Aliqui dicunt id licere, etiam si socij id conijciant, si alio modo non possit periculo occurrere. Ita Scotus, Maior, & Adrianus apud Vasquez dub. 1. n. 10. quorum aliqui probant; quia Sacerdos nihil reuelat, cum iam socij sciant illud peccatum. Alij probant: quia vti rebus ad aliud significandum cum simulatione non est mendacium. Vtramque tamen rationem impugnat benè Vasquez ibi. Primam, quia etiam de peccatis publicis in confessione auditis, non licet loqui ex confessionis notitia, vt supra vidimus, licet nihil tunc reueletur, quod non iam sciatur. Secundam verò, quia licet illud non sit mendacium, est tamen manifestatio confessionis auditæ, quæ nullo casu est licita, vt constat ex c. Omnis de pœnit. & remiss. vbi dicitur: *Caveat autem omnino, ne verbo, aut signo aut alio quouis modo aliquatenus prodatur peccatorem.*

Alij dicunt, licitum id esse ad euitandam magnam

aliquam ciuitatis ruinam, vel matrimonium inualidum impediendum: & hoc quidem de licentia Episcopi. Ita Altiſiodorensis lib. 4. tract. 6. c. 3. q. 4. quam sententiam benè impugnat Vasquez dicto dub. 10. num. 6. & eius falsitas constat satis ex supra dictis.

Alij ergo communiter dicunt, neque etiam pro feruanda vita licere vsum illius notitiæ in prædictis casibus. Richardus, Soto Nauarrus, & Medina, quos affert, & sequitur idem Vasquez ibi, num. 4. Ledesma item cum alijs, quos affert, & sequitur Suarez disput. 33. sect. 7. n. 6. Aduertunt tamen, debere maxime considerari, an pœnitens verè animo confitendi illud Confessario dixerit; an potius animo iniquo ligandi illum ætissimo sigillo, ne auderet fugere ob metum violandi sigillum: quo casu non tenetur ad secretum, & quæ intentio ex circumstantiis potest benè deprehendi. Quæ sententia mihi etiam placet: quia, si rationes supra adductæ aliquid probant: probant quidem absque vlla proſus exceptione, quæ si semel, vel vnicui casu admittatur, redditur odiosa, & grauis confessio, quia facili sibi finget necessitatem Confessarius prodendi confessionem, vel illam non celandi. Ad quod deferuiunt exempla illa fornicationis, & pollutionis voluntariæ, quæ propter nullum priuatum, vel publicum damnum licent: quia maius esset damnum, quod sequeretur ex eo, quod aliquando licerent: quàm quod sequi potest in vno, vel altero casu particulari ex eo, quod non liceant. Adde, experientiam tot sæculorum ostendere, nunquam reuelationem directam, vel indirectam confessionis fuisse necessariam ad ea pericula fugienda, cum vel ex licentia pœnitentis, vel alijs modis obuiari iis facile possit absque fractione sigilli. Denique, si Carthusiano licet obligare se ad abstinendum à carnibus, etiam cum euidenti vitæ periculo, propter commune bonum obseruantie religiosæ, ne semel data licentia carnes comedendi enervaretur rigor illius disciplinæ: quantò magis propter commune bonum Sacramenti adeò necessarij potuit necessitas, & vtilitas publica obligare ad celandam confessionem, etiam cum vitæ periculo: quod quidem periculum non est mortale, sicut in Carthusiano; sed methaphysicum, & quod nunquam reperitur.

Huic sententiæ opponit sese Pater Coninch in præfati, disp. 9. dub. 4. num. 3. & segg. qui dicit, fugam, & omissionem Missæ in iis casibus non esse contra sigillum: imò addit num. 55. probabile esse, Sacerdotem eo casu obligari ad fugiendam mortem, quando alij, quàm socij criminis, ex fuga non intelligerent peccatum pœnitentis: si verò imminet ex fuga pœnitenti ipsi mortis periculum à socijs inferendæ, potest quidem, inquit: fugere Sacerdos; sed laudabiliter faciet, si malit fortiter permanere, & mori, quàm pœnitentem periculo exponere. Quam sententiam ex parte approbat Bonac. disp. 5. quæst. 6. sect. 5. puncti 4. num. 28.

Probat Coninch: quia non est contra sigillum aliquid facere, vnde conscij illorum criminum colligant, pœnitentem ea mihi confessum fuisse. Nam de latrone ob publica latrocinia suspensio licetè dico, eum mihi sua peccata cum magna contritione fuisse confessum: vnde omnes colligunt, eum mihi furta confessum fuisse. Imò eo ipso, quod illum absoluo, alijs videntibus, & Enchiristiam illi porrigo, significo, eum sua scelera publica mihi fuisse confessum. Ratio autem est: quia ideo frangit sigillum, qui dicit peccata etiam publica pœnitentis, non quia dicit, eum confessum illa

illa fuisse: sed, quia dicit, obiter, eum illa commississe, quod est dicere peccata penitentis: at verò, qui solum dicit, vel significat penitentem fuisse confessum; unde qui peccati conscij sunt, colligunt eum confessum fuisse peccatum; non manifestat illis peccatum, sed confessionem solum: ipsi verò suo discursu colligunt, fuisse de tali peccato: quod non est contra sigillum. Ad cuius confirmationem n. 57. affert aliud exemplum. Si famulus Hæretici, inscio domino, Sacerdoti confiteretur; & postea dominus minaretur Sacerdoti mortem, nisi eum manifestaret; posse saluo sigillo, si aliter non posset mortem euadere, nominare penitentem, etiam si sciret ea de causa à domino occidendum, & alios ea occasione aliquando auertendos à confessione. Non ergo obligat sigillum, aut reuerentia Sacramenti ad celandam confessionem in genere, licet ex hoc alij colligant, confessionem fuisse de tali peccato, vel ea de causa aliquod detrimentum penitenti aduenire possit.

115. Distinctio hæc regulariter vera est, quod dicitur, aliquem esse confessum, non sit contra sigillum, nisi quando hoc ipsum sit detegere peccata aliqua penitentis: ut si dicas, Titium tali tempore & talia Sacerdoti confessum: quod indicat, eum habuisse peccata referuata, ut *suprà* diximus. Cæterum illa doctrina non applicatur sat bene ad casus præsentis: nam in iis Confessarius non solum significat, confessum esse; sed multò magis directè significat peccata, imò ex significatione peccati, significare confessum esse. Nam abstinendo à vino propter venenum, quod habet; prius & directè significat, peccatum veneni præparati, ex quo colligunt complices confessionem sui socij. Unde retorqueri possunt exempla, quæ affert quia licet, dicere explicitè, aliquem confessum esse, non sit contra sigillum; dicere tamen explicitè peccatum, quod Sacerdos non nisi ex confessione nouit, esset clarè contra sigillum: ut, si diceret, hoc vinum habet venenum: vel insidias mihi paratas sunt, ut hac nocte occidat: sed fuga illa, vel abstinere à vino significat directè, non confessionem, sed peccatum ipsum, nempe, insidias paratas, vel venenum infectum vino: ergo illa actio quæ peccata ipsa indicat, in his circumstantiis erit contra sigillum.

114. Unde constat exempla allata non esse ad rem, quia in illis Sacerdos nullo modo dicit peccata sed solum actum confessionis: quare ex Sacerdotis testimonio non potest villo modo colligi, quod talia peccata fecerit penitens. In nostro autem casu ex facto Sacerdotis colligitur, insidias esse paratas, & venenum infusum, cum hoc immediate significet fuga Sacerdotis. In tertio etiam exemplo Confessarius solum dicit, Petrum fuisse confessum, quod non est contra sigillum, quando hoc ipsum non significat, quod fecerit tale, vel tale peccatum. Quod verò ex ea manifestatione reddatur confessio difficilior in talibus circumstantiis, non inducit talem obligationem secreti: nam ea difficultas non provenit ex confessione, ut confessio est: sed est communis omnibus operibus religiosi, quæ omnia odio habentur ab improbis, & afferunt secum pericula: omnes enim, qui volunt pie vivere, persecutionem patientur. Neque ideo oportuit, ob hanc difficultatem communem, imponere omnibus obligationem occultandi adeò strictam: quia difficultas hæc & hæc peccula, ex manifestatione orta, non arcant homines communiter ab exercitio eorum operum, ut expectantia constat: imò regulariter, & in plurimum gau-

dent homines, quod sciant alij, eos exercuisse opera pietatis, per accidens autem aliquando patiuntur ea de causa: & tunc ipsum pati gloriosum est. In confessione autem oportebat, secretum strictissimum imponi: quia in ea non deteguntur bona opera, sed crimina: quorum notitia infamat hominem, & propter quæ pati, vel puniri, gloriosum non est sed indecorum. Non est ergo ad rem argumentum, quod ab exemplo petitur adeò dissimili.

Ex dictis inferitur primò, Confessarium, qui penitentem noluit absolvere propter eius indispositionem, si postea ab eodem penitente calumniose ob vindictam accusetur de falso crimine, non posse se defendere, manifestando confessionem factam: absoluit enim nam, licet penitens non sit dignus; cui secretum servetur: sed potius liceat vim vi repellere: Sacramentum tamen dignum est, ut ob eius reuerentiam non violetur sigillum: sed alijs modis defensio legitima procuretur.

Inferitur secundo, quod dictum est de periculo vitæ corporalis, locum etiam habere de periculo vitæ spiritualis, ut nec propter illud vitandum in se ipso possit Confessarius confessionem reuelare: ut notat Suarez *dicta sect. 7. n. 8.* Sed licet ex confessione sciatur, sibi præparari periculum spirituale grave, si aliter illud vitare non potest, debet sperare auxilium gratiæ diuinæ, & se Deo commendare, ac servare omnino indeminde sigillum.

Hinc tamen oritur dubium, si Sacerdos scit, quod penitens ipsi scandalum est, an vocatus possit nolle ire ad illum audiendum? Aliqui enim affirmant quia obligatio vitandi periculum proximum peccati est de iure naturæ. Alij negant: quia non potest villo signo prodere penitentem: proderet autem illum non eundo, si alia ratione non posset illam exculpationem iustificare. Præceptum autem naturale obligat solum ad vitandum periculum proximum, quando id absque gravi incommodo fieri potest: in hoc verò casu non solum intercedit difficultas: sed necessitas orta ex reuerentia Sacramenti.

Ego existimo primò, vix posse fingi casum, in quo propter sigillum obligetur, ut eat ad audiendam confessionem, in qua scandalum timet: quia vel illud scandalum oritur ab ipso met Confessario, qui propter suam fragilitatem, v. g. tentatur graviter à propria concupiscentia, dum audit talem personam; & tunc nihil facit contra sigillum ut constat, non eundo ad illam audiendam. Vel scandalum oritur à penitente, qui Confessarium prouocat ad malum: & nec tunc facit contra sigillum non eundo, quia prouocatio illa ad malum non est sub sigillo, cum non sit peccatum, quod penitens confitetur; sed quod committit in ipsa confessione. Similiter, si penitens urget Confessarium, ut eum absoluat, & minatur ei mortem, si absoluat, potest, saluo sigillo, non redire: quia minæ illæ non fuerunt materia illius confessionis, sed peccatum ibi factum coram ipso Confessario. Unde licet Confessarius non possit dicere, quod propter absolutionem negatam minatus sit ei mortem, posset tamen, quando minabatur, fugere; sicut posset, si iam veller, eum occidere: quia minæ illæ, & voluntas occidendi non est materia illius confessionis, sed peccatum ibi commissum: ergo similiter postea poterit non redire propter eandem causam absque vlla violatione sigilli. Posset alius casus esse, si ex eo, quod penitens confitetur plura, & extraordinaria peccata carnis, Confessarius sentiat vehementiores carnis stimulos, quam tentationem, & periculum non videtur posse explicare postea propter connexionem

V u 4 quam

115.
Confessarius
accusatus
falso ab eo,
quem noluit
absolvere non
potest manifestare
confessionem
factam.

Idem inferitur
de periculo
vitæ spiri-
tualis.

116.
An sit contra
sigillum, nolle
irerum audi-
re alicuius
confessionem.

quam habet cum peccato pœnitentis. Sed quidquid sit de hoc casu; & eius possibilitate, fatemur, debere redire Confessarium, si non possit, se ex alio prætextu excusare, quin intelligatur id fieri propter pœnitentis peccata, quæ audiuit.

117.

Vnde respondendum est ad alium similem casum quando Confessarius semel, & iterum pœnitentem non absoluit, & iterum vocatus ire non vult, ne tempus frustra expendat cum eo, & ne cooperetur eius simulationi, quæ simulat confessiones, cum nunquam absoluitur; an tunc liber sit à violatione sigilli. Respondetur enim, si pœnitens veniat eo animo, ut simulat confessionem & exterius satisfaciatur domino, vel parentibus, ac conseruet bonam existimationem apud alios, nullam esse obligationem sigilli ex tali confessione, cum non sit confessio, nec fiat animo confitendi, sed simulandi, cui simulationi Confessarius non debet cooperari: sed potest se excusare: & fortasse debet. Si verò pœnitens veniat animo confitendi, licet indispositus: quia non vult restituere, v.g. vel relinquere proximam occasionem, quam potest, & debet relinquere: & Sacerdos non possit, se excusare, nisi intelligatur, saltem in genere causa, non poterit non ire; poterit tamen statim initio confessionis eum dimittere, reddendo ei rationem, dum id sine nota fieri possit: & petere, ne iterum eum vocari faciat inuitiliter. Raro tamen deest prætextus alius fugiendi, & excusandi se absque fractione sigilli.

§. 3. *Utrum propter confessionis notitiam debeat Sacerdos vitare pœnitentem excommunicatum, aut negare illi Sacramenta.*

118.

Errum est, propter notitiam ex sola Confessione habitam, non esse vitandum in publico excommunicatum: loquimur autem de excommunicato vitando, non tolerato. Ita Suarez cum aliis *sect. 6. num. 3.* Difficultas est, an saltem in occulto debeat vitari. Tres sententiæ afferri solent. Prima affirmat vitandum, quando nullo alius. Ita Nauarrus in *c. Sacerdos, de pœnit. dist. 6. n. 146.* Adrian. *quest. 2. de sigillo.* Scotus verò *dist. 21. quest. 2. ad ult.* addit, etiam coram aliis esse vitandum, si non sequatur inde manifestatio peccati: quod quidem consequenter dictum videtur.

119.

Secunda sententia negat, esse vitandum etiam in occulto. Hanc tenent Ioann. Medina, & Ledesma apud Suarez *vbi supra num. 4.* qui eam securiorem, & magis constantem esse dicit. Eandem videntur tenere Richardus *dist. 21. art. 4. quest. 2.* Antonin. *3. part. tit. 25. §. 5.* Couarr. in *c. Alma mater. par. 1. §. 2. n. 3.* cum Hostiensis, & aliis & videtur eam supponere Henriquez *lib. 8. de Eucharist. c. 59. §. 3. & lib. 13. de excommunicat. c. 6. §. 1. vbi alios affert.*

Tertia sententia distinguit: nam, vel communicatio affert cooperationem cum excommunicato ad malum: & tunc est vitandus: quia illa communicatio est intrinsecè mala: ut, si petat Sacramentum, quod non est dandum indigno. Si verò communicatio non sit talis, sed solum iure humano prohibita: non est vitandus: quam sententiam Suarez *loco citato*, probabilem esse dicit. Alij denique dicunt, posse & debere vitari in occulto, quando nec alij, nec ipse excommunicatus intelligit, id fieri ob suum peccatum: sed quia Confessarius eum non vidit, vel non potuit respondere propter aliquod impedimentum, vel ob aliam eiusmodi causam.

Secunda sententia mihi vera videtur, quod neque in occulto debeat, aut possit Sacerdos eam vitare. Hanc probat Suarez: quia hodie non tenemur iam vitare excommunicatum occultum. Sed hæc ratio non est vniuersalis: quia possum ego scire ex confessione, aliquem esse excommunicatum notorium Clerici percussorem, vel publicè denunciatum, quod ego antea ignorabam: & tunc potest esse questio, an debeat illum vitare, quem solum ex confessione noui excommunicatum.

Alij probant: quia ea ratione, qua Sacerdos nouit illud peccatum, non subditur Prælo imponenti excommunicationem, vel prohibenti communicationem: quia non nouit illud, ut homo: sed ut locum Dei tenens: ergo propter illam notitiam non subditur legi excommunicationis. Hæc tamen ratio non videtur sufficere: quia, licet illam sententiam non accipiat ut subditus: potest tamen habenti talem scientiam præcipi aliquid, quod possit fieri à subdito: sic enim Ecclesia præcipit sub graui pena Confessario, ne reuelet notitiam, quam habuit in confessione. Item, præcipit ei, ut si sciat in confessione pœnitentem fuisse ab alio Confessario sollicitum ad turpia, obliget illum ad denunciandum, & alia similia, quæ præcipiuntur habenti notitiam ex confessione: ergo ex hoc capite non repugnat, quod habenti talem notitiam prohiberetur communicatio in occulto.

Melius ergo probatur illa sententia: quia, vel ex illa vitazione excommunicati sequitur reuelatio aliqua peccati: & tunc non est dubium, quin non debeat vitari propter sigillum seruandum: vel non sequitur reuelatio: sed tamen pœnitens, ipse intelligit, id fieri propter talem censuram: & tunc etiam constat ex *supra dictis*, non esse ita vitandum: quia ea esset exprobratio indirecta peccati: si enim non licet seueriorem vultum pœnitenti ostendere ob notitiam confessionis, quantum minus licebit faciem auertere, & communicationem ciuilem ei denegare? Vel denique neque ipse pœnitens id intelligit, quo casu posset esse maior ratio dubitandi: quia tunc potest absque vlla reuelatione, aut exprobratione vitari excommunicatus: ergo obligat præceptum vitandi, quod quoties seruari potest, obligare videtur. Maxime, cum dixerimus, posse Confessarium ex illa notitia fugere venenum, vel infidias, quoties id absque vlla manifestatione facere potest: poterit ergo similiter fugere communicationem cum excommunicato, quæ etiam mala, & indecens est, si id absque vilo manifestationis periculo facere potest.

Adhuc tamen in eo casu dicendum videtur, nec debere, nec posse vitari: quia sigillum, ut *supra* diximus, obligat non solum ad non exprobrandum pœnitenti suum peccatum directè, vel indirectè; sed etiam ad non faciendum propter illam notitiam aliquid, quod redderet confessionem difficiliorem, si pœnitens sciret illud licitè fieri posse à Confessario: ob quam causam diximus non posse licitè negari pœnitenti suffragium, etiam occultè, propter eam notitiam, licet id pœnitens scire non possit; quia, nimirum, suffragium, quod scire illud posse fieri, redderet confessionem difficilem, & odiosam. Cum ergo negare pœnitenti communicationem ciuilem, & eius commercium fugere, sit aliquid incommodum pœnitenti; non licet ex confessionis notitia illud ponere, quod si à pœnitente sciretur, redderet difficiliorem confessionem sui peccati: & hæc

hæc videtur esse ratio magis vniuersalis, qua fundatur hæc communis sententia.

122. Vnde infero primò, non esse admittendam distinctionem illam tertiæ sententiæ de communicatione cum cooperatione, vel sine illa: nam, qui eligit indignum cognitum ex confessione, cooperatur eius peccato, qui se indignè ingerit: & tamen non potest negare suffragium, ne reddatur difficilis confessio: ergo idem dicendum erit de admittente excommunicatum ad Sacramenta, cuius repulsa redderet confessionem difficiliorem. Adde, regulariter illam repulsam continere exprobrationem indirectam sui peccati, quæ non videtur vlla ratione licita, etiam ad vitandum nouum peccatum penitentis. Nec per illam cooperationem peccat Confessarius, vt explicui latè *disp. 8. de Sacram. in genere, sect. 10. & 11.* præsertim, cum id faciat ad vitandum grauius malum irreuerentiæ, & difficultatis contra Sacramentum penitentis, quæ ex tali repulsa consequeretur.

123. Infero secundò, non solum non debere, aut posse vitare illum extra confessionem: sed nec etiam intra eandem confessionem: de quo posset magis dubitari: quia vitatio facta intra confessionem non videtur esse contra sigillum, cum fieret intra eandem confessionem. Et quamuis aliunde videretur licita illa communicatio, eò quòd confessio tota ordinetur ad correctionem, & utilitatem penitentis: posset tamen oriri scrupulus circa excessum communicationis non necessariæ intra eandem confessionem, si Sacerdos aliqua admisceret, non necessaria ad illum finem: quare aliqui putabant magis consultum absolueret statim penitentem à censura; & postea prosequi confessionem ad vitandum scrupulum circa communicationem necessariam, vel non necessariam. Dico itaque, neque intra confessionem debere vitari penitentem ex notitia in eadem confessione habita. Ratio est: quia etiam intra confessionem non licet Confessario punire, vel lædere penitentem propter notitiam in confessione habitam, nisi per penitentiam sacramentalem, aut correctionem pertinentem ad illud forum: omnia enim alia detrimenta, quæ ex occasione illius notitiæ inferrentur, videntur esse extrinseca, & redderent confessionem difficilem. Vnde non posset intra confessionem Sacerdos præcipere famulo, quòd exiret domo sua propter notitiam furti sibi facti, nec auferre ab eo clauem illi commissam sui scrinij: quia hæc, licet materialiter fierent in confessione, re tamen vera essent detrimenta extrinseca confessioni, & quæ redderent confessionem multò difficiliorem. Similiter ergo vitatio penitentis, & negatio communicationis ciuilibis, licet in confessione fieret, esset extrinseca confessioni, & redderet difficilem confessionem talis peccati, ne incurreretur illud detrimentum: quare reuerentia Sacramenti ad hæc etiam dampna in confessione non inferenda extendi debuit. Vnde, licet penitens dixerit se esse publicè denunciatum, vel notorium Clerici percussorem; non credo teneri Confessarium, finita confessione, ad inquirendum, an ita sit; quamuis id facere posset, citra vllum reuelationis periculum: quia hoc ipsum est aliquid incommodi penitentis, quod antea non habebat: cum enim prius Confessarius ignoraret inuincibiliter eius censuram, poterat cum eo communicare; quam communicationem auferet postea occasione accepta, saltem remotè, ex notitia per confessionem data: quod iam videtur redundare in aliquam difficultatem, & odium ipsius confessionis, quæ eiusmodi detrimentis occasionem præbet.

Infero tertio, quid dicendum sit de illo, qui in confessione sciret Ecclesiam esse pollutam. Tabiena *verbo, Confessio, num. 15.* dicit non debere admonere; maximè, si pollutio fuit occulta; neque etiam in genere dicendo in communi, esse pollutam. Angelus tamen *n. 11.* id concedit, quando est occulta pollutio: scilicet, si non sit occulta. Consequenter tamen ad supradicta videtur distinguendum: possumus enim loqui de obligatione Sacerdotis in ordine ad alios, hoc est, vt moneat alios, & faciat Ecclesiam reconciliari; vel de obligatione præcisè in ordine ad se, hoc est, ad non celebrandum, si sciat Ecclesiam esse pollutam. Quoad primum, si pollutio est occulta, & probari non potest; inutilis erit monitio, cum alij non habeant obligationem credendi Confessario. Si verò sit publica, videtur etiam inutilis admonitio, cum ante admonitionem sciatur ab alijs. Posset tamen contingere, ex ignorantia latere pollutionem in ratione impediendi: vt, si factum fuerit notorium; Clerici tamen illius Ecclesiæ ignorabant, Ecclesiam manere pollutam: Confessarius autem ignorans factum, postea illud ex confessione cognoscit. Potest rursus fieri, quòd pollutio fuerit occulta; sed probari possit: vt, si cadauer excommunicati vitandi, vel infidelis, fuerit secretò sepultum, quod facile probari, & inueniri potest: nam licet pollutio ex effusione seminis, vel sanguinis humani, aut occisione, requirat notorietatem facti; ex alijs tamen causis, etiam occultis, prouenire potest. Tunc ergo, si monitio fieri non possit absque manifestatione peccati contra sigillum, vel absque detrimento penitentis vero, vel in apprehensione, non debet vllò modo fieri: si tamen absque vllò ex his incommodis fieri potest; non apparet, cur non debeat, cum esset obligatio sigilli. Differt enim hoc à vitatione excommunicati, quòd hæc semper affert aliquid penitenti ingratum, atque idè redderet confessionem grauiorem: quòd verò benedicatur, vel reconcilietur Ecclesia in prædicto casu, quo nihil incommodi penitenti sequatur, non reddit confessionem grauiorem.

Vnde constat, quid dicendum sit in secunda consideratione in ordine ad ipsum Confessarium, an ipse possit celebrare in ea Ecclesia. Dicendum enim similiter est, si omisso Missæ aliquo modo manifestet peccatum occultum, vel aliquid ruboris, vel incommodi penitenti afferat, vel quid. *Confessarius an possit celebrare in Ecclesia, quam sciret in confessione pollutam.* quam, quod confessionem posset reddere difficiliorem; non posse omitti propter illam notitiam. Si verò nihil tale afferat; non video, cur non debeat abstinere, quando reuera credit Sacerdos, Ecclesiam esse pollutam, cum omisso Missæ non sit tunc vllò modo contra reuerentiam Sacramenti. Quod licet difficilius; posset tamen contingere in pollutione publica. Primò, si res esset quidem publica, sed Confessario prius incognita. Secundò, si fuisset publica notorietate facti; sed alij ignorassent, Ecclesiam ea de causa esse pollutam; atque idè celebrarent in ea, sicut si non esset polluta: in quibus, & similibus casibus, non video etiam, cur possit Confessarius celebrare, si eredit reuera, Ecclesiam esse pollutam, cum possit absque detrimento vllò sigilli Missam omittere, vt suppono.

126. Infero quartò idem cum proportionem dicendum esse circa secundam partem dubij, an possit Confessarius negare Sacramentum aliquod penitenti: certum est in publico non esse negandum, cum id esset manifestare indirectè peccatum penitentis. Posset tamen Confessarius meretricem, vel vili-

124. Quid, si in confessione sciat Ecclesiam esse pollutam.

125. Confessarius an possit celebrare in Ecclesia, quam sciret in confessione pollutam.

126. An possit Confessarius negare Sacramentum aliquod penitenti.

rationem publicum repellere ab Eucharistia in publico, ex notitia, quam extra confessionem habet de illius peccato publico: quod si dicat: *Iam tibi confessus sum*, potest dicere: *Debet tamen constare Ecclesia per satisfactionem publicam de tua emendatione, quod adhuc non constat.* In occulto etiam petenti debet dare Sacramenta, si ex negatione oritur aliqua, vel reuelatio, vel exprobratio indirecta peccati occulti. Imò, quando ea non sequitur, adhuc iuxta supra dicta non debet vti notitia confessionis ad negandum: quia hoc redderet confessionem difficiliorem, si scires pœnitens posse Confessarium ei postea petita negare, & resistere propter notitiam in confessione habitam.

§. 4. Vtrum cum licentia pœnitentis possit Confessarius loqui de auditis in confessione.

127.
Confessarius
intra aliam
confessionem
potest sine li-
centia pœni-
tentis loqui.

PRImò certum est ex dictis non posse sine pœnitentis licentia. Duæ possunt esse exceptiones, quæ tamen reuera non sunt exceptiones. Prima, si in hac confessione loquatur Sacerdos de rebus, quas pœnitens in præcedenti confessione dixit: nam, licet Gerson *Alphabeto* 34. litt. R. strictè loquatur, dicens, posse fieri seruata discretione: sed sæpè non expedire, vbi pœnitens scandalizaretur, vel ægrè acciperet, hoc tamen nullo modo est contra sigillum, cum sit in eodem foro, sacramentali, in quo Sacerdos ad bene curandum pœnitentem debet considerare etiam peccata præterita, quæ vel sunt circumstantiæ præsentium, vel indicat passionem vehementem, aut aliquid aliud consideratione dignum ad melius cognoscendum statum pœnitentis.

128.
Quid, si in
priori confes-
sione non fuit
idem Mini-
ster.

Circa hoc tamen dubitari posset, an procedat etiam, quando Sacerdos, qui audit hanc confessionem, nouit alia peccata huius pœnitentis ex confessione, quam idem pœnitens fecit alteri Sacerdoti, in qua hic alius fuit interpretes, vel casu audiuit illa peccata, cum esset vicinus; vel Confessarius primus ei dedit notitiã talem, consilij petendi gratia, vt accedente nunc hac secunda confessione, facillè colligat, hunc pœnitentem fecisse illa alia peccata, de quibus fuerat consultus. Dubitari ergo potest, an in hac secunda confessione possit Sacerdos loqui de illis peccatis, quæ prius sciebat notitia deriuata ex prima confessione: videtur enim non esse hoc contra sigillum, cum non loquatur extra forum sacramentale; sed semper maneat res sub eodem sigillo confessionis. Cæterum, non audeam concedere hanc licentiam: quia, licet vtrumque sit sigillum confessionis; non est tamen confessionis factæ eidem Confessario: nam peccata prioris confessionis sciebat hic Sacerdos, vt aliquid tenens se ex parte prioris Confessarij, & nomine illius: quare participabat sigillum, & obligationem illius. Sicut ergo duo Confessarij, qui audiunt successiue eundem pœnitentem, non possunt conferre inter se, quæ audierunt: sic hic secundus Sacerdos, qui repræsentat duos Confessarios, nempe, primum circa priora peccata, quæ ab illo accepit, & seipsum circa posteriora; non videtur posse quando ipse est Minister, vti notitia, quam habet nomine alterius Ministri: quia singuli Ministri debent seorsim retinere, quæ illis, vt diuersis Ministris, commissa sunt.

129.
An possit sta-
tim post con-
fessionem lo-
qui.

Secunda exceptio esse solet, quando statim finita confessione Sacerdos aliquid circa illam addit, vel aduertit pœnitenti, quod oblitus fuerat. Quod licitum esse docet Henriquez *lib. 6. cap. 23.*

num. 2. in fine: quam sententiam acriter reprehendit Fagundez *lib. 6. de 2. præcepto Ecclesiæ cap. 4. num. 33.* quia, finita confessione non potest, sine noua licentia, loqui de illa Confessarius: & quia post datam absolutionem finitum est primum Sacramentum. Vnde, si fieret nouum peccatum, esset necessaria alia absolutio, & aliud nouum Sacramentum. Ego tamen exceptionem illam probabilem existimo: quia moraliter non intelligitur esse extra confessionem, quod in continenti dicitur. Falsum quippe est, quod Fagundez dicit, data absolutione, finitum esse Sacramentum, & iudicium: nam aliqui imponunt pœnitentiam post datam absolutionem. Et quidem impositio pœnitentiæ grauis satis significat confessionem grauium peccatorum: ergo loqui de peccatis post absolutionem, non est contra sigillum; quia, nimirum, censetur durare adhuc idem iudicium sacramentale, cuius actus sunt absolueret, punire, consulere, monere, corrigere, & similia. Quod potest confirmari ex hoc ipso exemplo: quia, si Sacerdos post absolutionem datam, statim imponat pœnitentiam, v. g. tria ieiunia; iam videtur absolutum illud iudicium quoad omnes sui partes: & tamen nemo dicit, quod si statim compatiens pœnitenti Confessarius iudicet, grauem nimis esse pœnitentiam, & incontinenti dicat: *Sufficit vnum ieiunium.* violauerit sigillum, loquendo post datam absolutionem, & impositam pœnitentiam. Ratio autem est: quia adhuc moraliter censetur durare actio imponendi pœnitentiam: ergo similiter, licet data sit absolutio, potest intelligi moraliter iudicium illud quoad alios actus, qui debuissent præcedere absolutionem; & post illam in continenti fieri possunt, si ear impositio, vel moderatio pœnitentiæ.

Tertiam exceptionem addunt aliqui, vt possit Confessarius ad bonum spirituale pœnitentis promouendum, loqui cum illo de auditis in eius confessione absque alia licentia. Ita Poteanus in *3. sent. part. 5. Thom. part. 2. q. vlt. dub. vlt. concl. 3. notab. 2.* Hæc tamen exceptio regnat communi Theologorum, & fidelium sensui, & dat occasionem violandi sigillum exprobrando peccata audita sub prætextu promouendi bonum spirituale, saltem humilitatem pœnitentis, quo nimis difficilis, & odiosa redderetur confessio.

His positis, secundo certum est de licentia pœnitentis posse Confessarium loqui de auditis in confessione: debet autem hæc licentia esse non præsumpta, vel interpretatiua: sed formalis, & impressa. Alioquin sæpius fingerent sibi talem licentiam Confessarij contra veram pœnitentis voluntatem. Censetur tamen licentiam dare pœnitens, quando ipso interrogat, vel loquitur cum Confessario de aliquo, quod dixit in confessione: quare nimia videtur esse cautela aliquorum, qui ad ostendendam magis fidelitatem, & obseruantiam sigilli, tunc etiam expressam licentiam peti volunt. Debet etiam licentia esse libera, & spontanea: quare, si metu, vel auctoritate extorqueatur, non potest Confessarius sine sigilli violatione, illius virtute aliquid reuelare.

Dubium tamen primum est, an pœnitens possit dare eam licentiam absque eo, quod rem nateret extra confessionem; sed relinquendo eam adhuc intra confessionis sigillum. Aliqui negant, Scotus, Durandus, Maior, Gabr. Alensis, & Angelus apud Suarez *sect. 5. numero 5.* Primò, quia præceptum sigilli est diuinum: ergo non potest pœnitente relaxari. Secundò, quia Confessarius scit, vt Deus: ergo non potest de iis loqui

ut homo, etiam ex facultate poenitentis, nisi detur illi scientia hominis. Tertiò, quia poenitens posset cedere iuri suo; non tamen iuri Sacramenti sicut Clericus non potest cedere privilegio fori, vel Canonis: quia sicut etiam in favorem status clericalis, ut constat ex c. *Diligenti*, de foro competenti, & ex c. *Contingit*, de sententia excommunic. Quarto quia alij, quibus Sacerdos loqueretur, non tenerentur ad sigillum, cum ipsi non audiant illa in confessione. Quintò, quia, si poenitens posset dare illam licentiam, posset Superior ei præcipere, ut illam daret; quòd si non faceret, iam esset suspectus de crimine: si verò concederet, iam Sacerdos posset revelare eius confessionem.

133. Secunda sententia communis affirmat, poenitentem, non solum posse ea, quæ dixit in confessione, extra confessionem dicere, de quo non est dubium: sed etiam dare licentiam, ut manente sigillo confessionis, possit Confessarius ad talem, vel talem effectum uti illa notitia, vel illam alteri communicare sub eodem sigillo. Ita S. Thom. *dist. 21. q. 3. art. 2.* Bonaventura, Richard. Palud. Adrian. Henricus, Sylvest. uterque Soto, Ioann. Medin. Antonin. Nauarrus, Conarruias, & alij, quos asserunt, & sequuntur Suarez *dist. 5. sect. 5. num. 6.* & Valquez *quæst. 93. art. 4. dub. 5. num. 2.* & alij Recentiores communiter. Est autem magna differentia inter hunc modum licentiæ, & illum alium: nam, si poenitens primo modo procedat, dicendo extra confessionem, quod prius in confessione dixerat: iam nec Sacerdos, nec ij, quibus ipse diceret, obligantur ad secretum sigilli confessionis; sed ad secretum naturale pro qualitate materiæ: quare in multis casibus possent illud absque alia licentia manifestare ad aliquod damnum vitandum: fecus verò, quando licentia datur hoc secundo modo, retinendo sigillum confessionis, & non dando aliam notitiam extra confessionem; sed licentiam utendi notitia confessionis ad talem, vel talem effectum: tunc enim omnes ij, ad quos transit ea notitia, obligantur eodem confessionis sigillo.

134. Hoc supposito, probatur conclusio, quia obligatio huius secreti sequitur naturam, & conditionem secreti naturalis, ut semper maneat sub potestate committentis illud: quare, sicut poenitens potest eadem, quæ in confessione dixit, dicere extra confessionem; non est, cur non possit restringere, vel relaxare ipsum sigillum confessionis, prout expedire iudicaverit. Imò de facto ita facit poenitens, quoties per Confessarium licentiam petit à Prælo ad casum reservatum: iam enim vult, ut Confessarius utatur notitia illa, ita ut Prælati maneat obligatus eodem sigillo, nec idem Confessarius manet liber à sigillo. Denique, licet hoc sigillum indutum sit in favorem confessionis, ne reddatur difficilis; hoc tamen ipsum solum exigit talem modum sigilli, quòd sine licentia poenitentis revelari non possit: qui modus magis favorabilis est confessioni: nam esset onus gravius, si poenitens non posset dare licentiam ad illum usum, retinendo sigillum, sed deberet dicere peccatum extra confessionem, cum periculo, ut iam posset facilius revelari.

135. Vnde ad fundamenta contrariæ sententiæ facile respondetur. Ad primum: poenitens non relaxat præceptum divinum; sed ponit conditionem, qua posita præceptum non obligat: quia solum erat præceptum non revelandi absque licentia poenitentis. Ad secundum: non est opus, quod detur ei scientia alia humana; sed licentia utendi scientia, quam habet, ut Minister Dei; qua sci-

tia non vitur etiam; ut homo, sed ut Minister Dei, ex licentia poenitentis. Ad tertium: est differentia clara: nam etiam cedente iuri suo Clerico, remanet dedecus ipsius status, si trahatur ad tribunal laicum: cedente autem poenitente, nihil detrimenti patitur Sacramentum, cum non reddatur idem difficilior; sed suavior, & utilior confessio, cum afferat sigillum, cuius clavem habeat pro arbitrio poenitens ipse; ita ut possit ex parte aperire, & ex parte retinere. Ad quartum, iam in superioribus vidimus, quomodo notitia illa transeat ad omnes alios cum eadem obligatione sigilli. Ad quintum, eadem difficultas remanet in sententia contraria: facilius enim poterit Superior præcipere poenitenti, ut dicat extra confessionem Sacerdoti, vel sibi quod in confessione dixerat. Respondetur ergo, Superiorem non posse præcipere, quòd detur talis licentia: quòd si Tyrannus id præcipiat, non est ei obediendum: imò, quoties Superior id præcipiet, tyrannicè præcipiet, nec licentia eo modo extorta aliquid prodesset Confessario, ut *suprà* monuimus.

Dubitatur secundo, an, si poenitens velit dare licentiam priori modo, dicendo extra Confessionem, quod in confessione dixerat; debeat repetere totum sigillatim, sicut si Confessarius nihil sciret, vel sufficiat dicere: *Quod in confessione dixi, id totum dico tibi nunc extra confessionem, ut possis facilius ea notitia uti.* Pater Valquez *dicto dub. 5. num. 5.* dicit, repetendam in particulari historiam, & peccatum extra confessionem: quod prius dixerat Durandus apud Suarez *dist. 5. sect. 5. num. 4.* Vnde infert idem Valquez, quando peccatum complicitis manserat sub eodem sigillo; quia fuerat vel complex, vel materia, aut obiectum peccati poenitentis, saltem ex eius ignorantia; non sufficere licentiam poenitentis absque licentia eiusdem complicitis, ut Confessarius illud possit revelare; nisi poenitens extra confessionem repetat totam historiam, & det aliam notitiam directam extra confessionem: quia sigillum Sacramenti impositum est etiam in favorem complicitis, & non solum poenitentis.

Vtrumque difficile est. Nam, quod attinet, ad primum, frustra videtur fieri illa repetitio historiarum, quam novit Confessarius, ut notat etiam Suarez *dicto n. 4.* Sicut enim sufficit in confessione, si poenitens dicat: *Accusa me de illo peccato, quod extra confessionem tibi dixi*, nec oportet, aliam novam scientiam dare Confessario: cur non sufficiat dicere extra confessionem idem peccatum, remittendo se ad notitiam prius in confessione datam? Dices: iam postea Sacerdos uteretur extra confessionem notitia habita in confessione, cum extra confessionem non habuerit talem notitiam distinctam. Sed contra: quia etiam in primo casu Sacerdos, cui poenitens breviter confitetur peccatum, quod extra confessionem late dixerat, iudicat in confessione per notitiam non acceptam in confessione, cum tamen ibi debeat iudicare secundum ea solum, quæ in confessione poenitens dicit, non secundum ea, quæ aliunde ipse scit. In utroque ergo casu dicendum est, illam notitiam brevem, & compendiosam æquivalere notitiæ distinctæ prius datæ: atque idem in casu nostro accepisse virtualiter, & æquivalenter extra confessionem totam illam notitiam: sicut in primo casu accipit totam illam virtualiter, & æquivalenter intra confessionem.

Secundum verò, quod Pater Valquez dicit, requiri licentiam complicitis, ut possit Sacerdos

136.
An oporteat
extra confes-
sionem inter-
tere totum sigillatim, sicut si Confessarius nihil sciret, vel sufficiat dicere: *Quod in confessione dixi, id totum dico tibi nunc extra confessionem, ut possis facilius ea notitia uti.*

137.

138.
An sufficiat
licentia poeni-
tentis sine li-
centia com-
plicitis.

ut

vti notitia confessionis, quando non datur ei alia notitia extra confessionem, difficile etiam est. Primum, quia hoc secretum sequitur conditionem, & naturam aliorum secretorum, in quibus constat, ius secreti acquiri illi soli, qui illud committit, quo solo credente, cessat obligatio ex secreto, licet remaneat obligatio non infamandi complicitatem sine necessitate. Sic ergo secretum confessionis solum affert ius pœnitenti; quo cedente, remanet solum obligatio naturalis non infamandi proximum: non verò obligatio ex Sacramenti sigillo. Secundò, quia hæc obligatio sigilli tota est, vt vidimus, ne confessio difficilior fiat: hoc autem solum respicit ipsum pœnitentem: nam facilitas: vel difficultas tota est solum in ordine ad eum, qui facturus est confessionem, cum tota sit ad operandum: illa ergo solum reddere possunt difficultatem confessionem, quæ detertere possunt pœnitentem, qui solus eam facere debet: si enim pœnitens non deterreatur; confessio manet æque facilis. Certum est autem, quod pœnitens non deterretur à confessione facienda ex eo, quod Confessarius absque licentia complicitis possit illam reuelare cum licentia solius pœnitentis: imò, vt *suprà* dicebamus, hoc ipsum reddit confessionem magis facilem, & gratam pœnitenti, cum videat à sua voluntate totum sigillum pendere absque dependentia ab alio, cuius licentia etiam exigatur: ergo magis est in fauorem confessionis, quod licentia complicitis non requiratur; sed solius pœnitentis; qui tamen consulere debet complicitis famæ, iuxta ea, quæ latè diximus *suprà*, *disputat. 16. sessione 7.* circa obligationem non prodendi complicitem absque necessitate. Vide alias rationes apud Suarez *infra disputat. 34. sessione 3. numero 7.* vbi illam sententiam aliis fundamentis impugnatur.

139.
An sufficiat
licentia peti-
ta & non ob-
stantia.

140.

Dubitatur tertio, vtrum Confessarius petens licentiam à pœnitente ad loquendum cum eo de confessione audita: quia oportet aliquid aduertere de nouo: possit, pœnitente renuente, petita, & non obtenta licentia, loqui cum eo de auditis in confessione. Affirmant nonnulli, Suarez in *presenti, dicta sess. 5. num. 3.* quem sine causa citat pro contraria sententia Diana 1. *tomo tract. 1. miscellan. resolut. 12.* cum Suarez nimis clarè hanc primam sententiam tradiderit, cuius verbis relatis eandem sequitur Fillucius *tom. 1. tract. 7. cap. 11. quest. 5. num. 324.* Nihil in *addit. quest. 11. art. 1.* & implet Diana *tom. 2. tract. 4. de Sacrament. resolut. 87.* relato Turriano, eundem Suarez citat pro hac sententia.

Contraria tamen communis est, & verior, quam tenent Reginaldus; Soto; Toletus; Rodriguez Magala; Bonacina; Syluius; Onuphrius, quos affert Diana 1. *tomo. dicta resolut. 12.* Turrianus de *pœnitent. quest. 11. artic. 1. disputat. 33. dub. 6.* & Fagundez lib. 6. de *secundo præcept. Eccles. capite quarto, numero 33.* cum aliis, quos ibi affert. Probatur primò ex communi doctrina, & generali regula, quod Confessarius de confessione sine licentia pœnitentis loqui non potest, à qua sine fundamento fieret talis exceptio. Et confirmari potest ad hominem: quia Auctores contrariæ sententiæ dicunt, petendam esse prius licentiam: si autem sigillum non obligat ad non loquendum cum pœnitente de confessione in eo casu, non video necessitatem petendi licentiam, nisi causa vrbauitatis: nam licentia pœnitentis non requiritur, nisi propter obtaculum sigilli: si ergo non obstat sigillum, non requiritur petitio licentiæ, sed posset ex abrupto Confessarius dicere,

quod volebat: consequens autem non conceditur ab iis Auctoribus, nec credo facile illud concessuros.

Dices, non loqui Confessarium tunc extra confessionem, sed supplet, & perficit eam; quæ inchoata, & imperfecta remanserat. Ita responderet Suarez. Sed contrà: quia, si hac occasione perficiendi; quod defuit, potest Confessarius continuare per totam vitam eandem confessionem, sigillum certè prorsus corrueret: nam ad Confessarium pro suo munere spectat non solum morere, sed corrigere etiam pœnitentem: quare posset per totam vitam corrigere, & obiurgare pœnitentem propter illa peccata, quod totum diceret, se intra confessionem facere, quam quoad actum corrigendi, & obiurgandi vult magis perficere; quia non satis reprehendit pro merito peccatorem: quod certè confessionem redderet intolerabilem, & fideles omnes grauissimè scandalizarentur, quasi de sigillo omnino violato. Fatendum ergo est, non posse Confessarium sine pœnitentis licentia resumere illud iudicium, quod iam semel moraliter finitum fuit. Quare in prædicto casu, si aliquid supplendum est, debet petere licentiam, si commode possit, qua negata, satisfactio suo muneri iuxta ea, quæ diximus, *suprà disp. 22. sess. 3.*

Demum observandum est id, quod merito notauit Nauarrus in *dicto cap. Sacerdos numero 51.* quod dicitur sibi accidisse, quod, dum Sacerdos aliquis cuiusdam confessionem audiret, ipso cernente, relicto pœnitente, ad ipsum venit consilium petiurus, quo habito, rediit statim, vt pœnitentem absolueret: quod quidem, si de licentia pœnitentis fecit, tolerari potest; sin minus, ex ignorantia potuit excusari à sigilli violatione: & in hoc aliqui simplices Confessarii solent non ratò deficere consilium petentes in talibus circumstantiis, in quibus persona pœnitentis non difficile intelligitur.

§. 5. Alia duo dubia de hac materia.

Primum dubitatur, an Confessarius possit, quando confitetur, ad explicandum suum peccatum, quod in audienda confessione commisit, aliquid dicere, vnde intelligatur peccatum, quod eius pœnitens confessus est, & notitia pœnitentis habeatur. Certum est, debere propter integritatem suæ confessionis, querere, si potest, alium Confessarium, cui integrè possit confiteri suum peccatum absque periculo violationis, iuxta ea, quæ *superius* diximus circa obligationem non manifestandi in confessione complicitem absque necessitate. Quando verò vigeret necessitas confitendi, & non posset Sacerdos confiteri integrè suum peccatum absque significatione peccati, quod audiuit: aliqui dicunt, ob integritatem confessionis posse illam aliam confessionem reuelare. Ita Gabr. in 4. *dist. 21. q. 1. art. 3. dub. 1. casu 5.* & probabilius id iudicat Soto in 4. *dist. 18. quest. 4. art. 5. circa solutionem quarti, & de secreto, membr. 3. q. 4.* Quod probant primò: quia integritas confessionis fortius obligat, cum sit in reuerentiam illius iudicij: sigillum verò in gratiam pœnitentis. Secundò, quia Sacerdos magis debet consulere suæ salutis, quam famæ sui pœnitentis.

Contraria sententia communis est omnibus fere Theologis, & proculdubio tenenda quare primam probabilem non esse, affirmat Suarez *disp. 33. sess. 1. n. 18.* apud quem, & apud Valsg. *dicto art. 4. dub. 4.* videri possunt Theologi, & Summi nostram sententiam

sententiam docentes. Probat ex fundamento contrario: quia fortius videtur præceptum sigilli, quam integritatis confessionis. Vidimus enim *supra*, quomodo multis de causis excusetur penitens ab integritate confessionis, & quidem propter graue detrimentum, quod sibi, vel alteri timeret ex talis peccati confessione: sigillum autem violari non potest, etiam propter regni incolumitatem, aut maiora damna vel bona: ergo magis debet Sacerdos retinere integritatem sigilli, quam suæ confessionis. Ratio autem est quia magis pertinet ad reuerentiam, & fauorem confessionis sigillum, quam integritas; cum ex sigilli violatione possibilibus detererentur homines à confessione, quare hoc ipsum esset contra confessionis integritatem: cum hac de causa penitentes non confiterentur integrè sua peccata propter timorem reuelationis. Et negari non potest, quod summopere displiceret penitenti, qui ex industria quæsiuit talem Confessarium, cui sua peccata consideret, si sciret, quod hic deberet eadem sua peccata proprio etiam Confessario confidere, & ille alij. Vnde constat ad vtrumque fundamentum contrariæ sententiæ: in vtroque enim assumitur falsum, scilicet, fortius obligare præceptum integritatis, quam sigilli, quod est aperte falsum; & quod ad salutem Sacerdotis necesse sit illud peccatum integrè confiteri; quod est etiam falsum, cum Sacerdos possit confiteri sufficienter ad salutem, & cum integritate formali, licet illud suum peccatum integrè non fateatur propter custodiam sigilli.

145. Dubitarunt aliqui circa hoc, an, qui peccaret mortaliter, reuelando in confessione peccatum, quod in confessione audiuit, incideret in peccatum reuelatum: ubi omnia mortalia externa essent reuelata. Videbatur enim non esse reuelatum: quia committitur in illo secretissimo foro confessionis sacramentalis extra omnem notitiam humanam: sicut *supra* diximus, excommunicatum cognitum ex sola confessione non esse vitandum. Ceterum non videtur posse excusari à reuelatione: quia verè est peccatum externum; sicut, si sibi iurasset penitens cum mendacio, vel si manifestasset complacem absque vlla necessitate, quæ esset quidem detractio externa, atque idè reuelata, ubi eiusmodi detractio reuelaretur. Nam, quod fiat sub sigillo confessionis, non tollit veram exterioritatem: unde hæresis, quæ ibi committeretur, afferret etiam excommunicationem reuelatam; quia verè est hæresis externa; & capax censuræ.

146. Secundo dubitatur de penis, quas incurrit, qui violat confessionis sigillum: de quo videri possunt Suarez *dis. 33. sect. 6. Fagund. dist. lib. 6. de 2. Eccl. præcept. cap. 7. & nouissimè Barbosa in collectaneis, tom. 2. lib. 5. tit. 38. c. 12. n. 15. & Menoch. de arbit. lib. 2. centur. 5. cas. 414. quos alios referunt.*

Aliqui dixerunt, Sacerdotem reuelantem confessionem fieri irregularem: Speculator, quem refert, & sequitur Maior. *lib. 5. de irregul. c. 9. n. 6.* Sed non habet fundamentum in iure, ut probat Suarez *n. 2.* qui dicit, improbabilius esse, quod affirmat idem Maior; si laicum audientem confessionem secretam alienius fieri irregularem, si eam reuelet. Ceterum, ille laicus aliquando fieri irregularis: non propter reuelationem; sed, si audiuit serio confessionem, fingens se Sacerdotem.

Alij dicunt, reuelantem in penam sui peccati habere, ut eius testimonio nulla fides danda sit in iudicio. Sed hæc non est pena, ut notat Fagundez *num. 9.* sed incapacitas materiæ: quia, nimirum, scientia, quæ habetur ex confessione, non potest villo modo deferri in iudicio, ut *su. P. Ioann. de Lugo, de Penitentia.*

præ. diximus: in aliis tamen materiis non repellitur eius testimonium, nisi forte propter aliquam infamiam, quam ex delicto, vel sententia incurrit.

Pœna ergo, quæ in iure statuitur Sacerdoti reuelanti peccatum penitentis, est depositio perpetua, in capite Sacerdos. *de penit. distinct. 6. vbi* additur, cogendum esse ad perpetuū, & ignominosè peregrinandum; quam peregrinationem commutasse videtur lex in capite *Omnia viri &que sexus. de penit. & remiss.* in reclusionem perpetuam in aliquod Monasterium. Neutra verò pœna, neque vlla alia incurritur ipso facto; sed per sententiam imponenda est. Quamuis autem textus in dicto capite *Omnia viri &que sexus* agat initio de confessione annua, quæ ibi præcipitur: pœna tamen reuelationis intelligitur de omni confessione, etiam venialium, aut mortalium, quæ iam prius iterum penitens confessus fuerat. Sicut licet mentionem faciat de confessione solius soli Sacerdoti faciendæ; pœna tamen comprehenderet eum, qui non solus, sed cum interprete, vel coram alio audisset confessionem: quia, quoad reuelationis penam, non ponitur illa limitatio; sed quoad obligationem præcepti confitendi, quod non obligat, nisi ad confessionem solius cum solo.

Hanc pœnam incurrit solus Sacerdos, qui ex confessione audita, reuelat peccatum penitentis formaliter, vel æquiuocaliter: ut, si dicat: *Non potui illum absoluerè*, &c. Alij autem, ut interpretes, vel qui casu audiuit, vel cui Confessarius cum licentia penitentis, vel absque illa manifestauit, & alij similes, non puniuntur pœna illa ordinata; sed alia extraordinaria pro delicti gravitate.

Ad quem verò Iudicem hoc delictum pertineat, certum est, pertinere ad iudicem Ecclesiasticum, cum concernat Sacramenti religionem. Aliqui dicunt, expedire, ut deferatur ad Inquisitores; cum propter iniuriam Sacramenti reddatur delinquens in fide suspectus. Alij tamen dicunt, quando est mera confessio reuelatio, Inquisitores non se ingerere, quam praxim testatur Diana in eo Tribunali per multos annos versatus *tom. 3. tractat. 8. de offic. & potest. Inquisitorum. resolut. 95.* cum Molfesio in *Summa, tom. 1. tract. 7. capite 23. num. 68.* Dixi: quando est mera confessionis reuelatio: aliud enim esset, si haberet mixtum errorem: ut, si dixisset, licitam esse reuelationem sigilli; vel aliter ostenderet, se male sentire de Ecclesiasticis Sacramentis, quo casu pertineret ad iudicium Inquisitorum.

Difficultas est de modo probandi hoc crimen, de quo in primis dicendum est, posse probari per testes singulares, propter delicti qualitatem, quod aliter vix vnquam probari posset, ut notat Suarez *numero 3.* & alij communiter. Dubium autem est, cui incumbat probandi onus, quando penitens dicit, Sacerdotem reuelasse confessionem absque eius licentia; Sacerdos verò dicit se habuisse licentiam à penitente. Multi dicunt, onus probandi incumbere Confessario; quam esse sententiam communem testatur Nauarrus *dicto capite Sacerdos. numero 164.* & pro ea Suarez affert S. Thomam, Richardum, & Syluestrum. Et probari potest: quia licentia non præsumitur, nisi probetur, ut in simili probat Zephalus *conf. 47. num. 2. volum. 1.*

Alij hanc sententiam duram, & difficilem indicant, cum Sacerdos non possit probare licentiam

147

148.
Ad quos Iudices spectat.

149.

Quomodo probetur hoc delictum.

150.

centiam illam, quæ regulariter secretò datur. Ita Suarez numero 4. & in fortioribus terminis Thomas Sanchez libr. 3. de matrim. disp. 37. num. 5. quando opponitur contra Sacerdotem, interfuisse matrimonio absque licentia Parochi. Quare Suarez ibi, & Bernardus Diaz de Lugo in *Practica criminali can. capite* 109. & alij dicunt, totum hoc ex coniecturis, & circumstantiis pendere: nam, si Sacerdos bonæ famæ sit, & honestè vitæ, si nihil mali pœnitenti intulit; sed potius reuelatio tendebat ad eius bonum; præsumitur licentia, & probandi onus refunditur in pœnitentem.

151. Distinguere possumus: nam, si pœnitens accuset de reuelata confessione, & Sacerdos neget se, tale peccatum dixisse, aut reuelasse, pœnitens debet probare, ut constat, cum crimen non præsumatur, nisi probeatur. Si verò constet, Sacerdotem dixisse illud peccatum, ipse verò neget, se illud in confessione audiuisse, credo, debere ab ipso ostendi, unde illud sciret: quo non probante, punietur quidem, non tamen pœna ordinaria, sed leuiori, quia non est conuictus de delicto: ut cum aliis tradit Barbat. 2. volum. conf. 70. quod incipit *Sapienter, ni fallor, col. septima in principio*. Si verò constet de reuelatione, dicat tamen Confessarius, se habuisse licentiam pœnitentis, distinguendum videtur cum Mascarido, quem refert, & sequitur Thomas Sanchez *ubi supra*, numero 5. qui in casu matrimonij dicunt, si contra licentiam opponatur à tertio, ipsi incumbere probare; si verò à proprio Parocho, transferri onus probandi in Sacerdotem, qui interfuit matrimonio, vel in ipsos contrahentes. Quam distinctionem in casu nostro approbat etiam Lapsus *allegat*. 94. quæ incipit, *Quidam Presbyter. ut*, si accuset ipse pœnitens, Sacerdos debeat probare licentiam: si verò accuset alius tertius, maximè, si pœnitens iam sit mortuus, probatio incumbat accusatori.

152. Ratio utriusque partis esse potest: quia quando à tertio opponitur, cum ipse non possit, nisi ad summum ex auditu scire carentiam licentiæ; ipsi incumbit onus offerendi alias probationes: quia delictum Confessarij non præsumitur; sed ex communiter contingentibus præsumitur reuelasse cum licentia, quæ ferè semper secretò conceditur. Quando verò ipse pœnitens accusat, qui scire bene potest licentiæ carentiam: maiorem fidem facit, licet non plenam: quare oportet, quòd Confessarius purget illam probationem per probationes contrarias. Potest tamen præponderare bona existimatio de probitate, & prudentia Confessarij: præsertim, si pœnitens è contra famam habeat non bonam, & aliquam inimicitiam occasionem aduersus Confessarium. Et hæc sufficiant de confessione. Nunc dicemus de satisfactione sacramentali, quæ est vltima pars huius Sacramenti: prius tamen oportebit dicere de satisfactione secundum se, qua satisfaciunt iusti ex opere operantis per opera pœnalia facta in gratia: postea verò dicemus de satisfactione sacramentali, qua satisfit ex opere operato.

* *

DISPUTATIO XXIV.

De satisfactione secundum se.

SECT. I. *Virum possit homo satisfacere de condigno pro debito pœna temporalis.*

Dubium incidens. *An possit homo aliter, quam per condignam satisfactionem liberari à debito pœna, per impetrationem, vel merita congrua.*

SECT. II. *An, & quomodo requiratur status gratia ad satisfactionem de condigno.*

SECT. III. *An satisfactio requirat opus honestum pœnale, & ex intentione satisfaciendi.*

SECT. IV. *Virum actus, seu passio externa addat satisfactionem supra actum internum.*

SECT. V. *An, & quomodo passiones, & pœna ab intrinseco, & necessarii pronuntiantes, possint esse satisfactoria.*

DE VERAT *supra* post disp. 11. tractati de pœnitentiæ virtutis effectu ad expiationem pœnae temporalis, quæ appellatur satisfactio pro pœna: ne tamen tractatio de satisfactione divideretur, sequuti sumus vsum Scripturæ, & referuimus ad hunc locum illum effectum, ubi de satisfactione sacramentali dicuri sumus. Dicemus ergo prius de satisfactione secundum se, hoc est, secundum virtutem, quam bona opera habent ad satisfaciendum, & delendum debitum pœnae temporalis; ut postea gradum faciamus ad satisfactionem, quam afferunt eadem opera, propter eleuatam per efficaciam huius Sacramenti.

SECTIO I.

Virum possit homo satisfacere de condigno pro debito pœna temporalis.

SUPPONENDUM primò ex dictis *disput. 8. sect. 2.* Remissa culpa, non semper aufertur totum debitum pœnae: nam, licet remissa culpa mortali, aufertur reatus totius pœnae æternæ, non tamen aufertur reatus totius pœnae temporalis, ut contra Hæreticos nostri temporis definitum est in Tridentino *sess. 6. canone 30. & sess. 14. cap. 8. canon. 12. 13. & 14.* & latè eorum errorem confutant Vega *lib. 13. in Tridentinum, cap. 36. & segg.* Soto *in 4. disp. 29.* Castro de hæresibus, verbo, *Pœnitentiæ*, Bellarm. *lib. 4. de pœnit. cap. 2.* Valquez in *presenti, quest. 94. art. 1. dub. 1.* & alij communiter. Unde peccatum veniale aliquando remittitur, remanente toto debito pœnae; nempe, quando iustus moritur cum aliquibus culpis venialibus nondum remissis quoad culpam in hac vita: tunc enim statim post mortem remittitur culpa ut diximus *disput. 9.* & tamen manet integrum debitum pœnae soluendæ in Purgatorio.

Supponendum secundò, hoc debitum pœnae dupliciter posse expiari. Primò, per propriam satisfactionem ipsius debitoris, seu ex opere operantis: Secundò, ex opere operato per satisfactio-